













THOMÆ REINESII
Phil. & Medic. Doct. Critici atque
Polyhistoris famigeratissimi

EPISTOLARUM
ad

NESTEROS, PATREM ET FILIUM

CONSCRIPTARUM FARRAGO:
IN QUA VARIA MEDICA ET PHILOLOGICA LECTU JUCUNDA CONTINENTUR:
Antehac à B. Authore nunquam edita;

M.DC.  LXX.

LIPSIÆ,
Sumptibus SCHÜRERI. GÖTZIANORUM HÆREDUM
ET JOH. FRITSCHII.

ILLUSTRI
S. ROM. IMP.
REIP. NORIMBERGENSIS
SENATUI
MAGNIFIC. NOBILISS. STRENUISS.
DNN.
DUUMVIRIS,
SEPTEMVIRIS,
CONSULIBUS ET
SCABINIS,
PATRIÆ PATRIBUS
PRUDENTISS.
SUMMIS MUSARUM MECÆNATIBUS
ISTÆ
REINESIANI NOMINIS RELIQUIÆ
D. D. D.
SACRÆ SUNTO.

E Athenienſibus memoriæ proditum eſt, quòd *Viros bonos doctosque*, & vivos & mortuos honorârint; Idque Exemplis, probatur: maximè honorum, quibus Hippocratem Coum *Medicorum* Principem, & Zenonem Cittieum *Philoſophum*, ſepulturâ huic poſt obitum in publico exſtructâ, utrique aureâ mille aureorum coronâ donatâ, mactârunt. Utramque & *Eruditionis* & *Bonitatis*, ſi quisquam, laudem promeruit, Attica ſimul & Latina Muſa *ſive Siren*: quo *Anagrammate* aptè notari mihi videtur, *Medicorum Philoſophorum*que hoc ſeculo Phoſter, ὁ μακαρίτης *Reineſius*. Nec infelix, ut ſæpius aliorum, Viri Germaniæ noſtræ invidendi virtus, debito ſibi præmio, ſe decoratam videns, non à maximis tantùm *Imperii Proceribus*, ſed etiam ab externo *Rege* gratiam, ab univerſo orbe literario gloriam, dum vixit, retulit. Nunc verò, dum vivere deſiit Vir triſecliſenio dignus, reſtat nobis in morte decorandus:

quam ſicuti pars ipſius divinior, cœlo ſuo reddita, devitavit; ita alia corporis exuviis nobilior pars, nunquam intermorituri nominis fama & memoria, Libitinæ impatiens, vivere in oculis & animis noſtris velle videtur. Urnam ſuperſtites è rogo cineres, doctæ mentis reliquiæ, poſcunt: ſi non argenteam, veterum more, auroque coronatam; chartaceam tamen, & applauſu exornatam. De Menandri Bactrorum Regis cineribus & reliquiis, contentionem ortam eſſe, ſcribit Plutarchus: ubi partibus æquis tandem digreſſi litigantes, ſinguli monumentum ipſi excitârunt. *Reineſiana* alii alia ſibi habeant, condenda vel potius in publicum edenda! Ego iis, quas ad Excellentisſimos *Neſteros* dedit, doctisſimis *Epiſtolis* obtentis, ne non typis meis Reip. Literariæ eas transſcriberem, mearum partium eſſe credidi.

Illis *ILLUSTRE NOMEN VESTRUM, MECÆNATES OPTIMI MAXIMI*, ut præſcriberem, à cauſis non unis me animatum recolo. *URBS VESTRA* incluta, (quæ

--- tantùm alias inter caput extulit urbes
quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi,)

ut quondam Romæ L. Luculli domus, commune Literarum Pritanéum audit: eam igitur, si *Reinesius*, post fata, sibi hospitium vel parti cinerum suorum monumentum legit, à splendore VESTRO multum lucis sibi fœnerandi veniam non desperare potest. Ergo ad exemplum C. Julii Cæsaris, qui omnes *Medicinam* Romæ Professos & *Liberalium Artium Doctores* civitate donavit, *BENIGNISSIMI MUSARUM FAUTORES & FOTORES!* *Reinesium* hunc ab inferiis reducem, vel sibimet quasi posthumum, *VESTRA* etiam *URBE* donandum non dedignamini. Nec propior & domestica nuncupationis hujus causa, me destituit. In *URBE VESTRA* hanc ego, quæ me exercet, Artem didici; sub *AQUILÆ VESTRÆ* alis, aliquot annorum vitam egi: Jure igitur meritòque *VESTRO*, *HEROES MAGNIFICENTISSIMI*, aliquem è Typographéo meo fructum, gratæque mentis à Cliente pignus, *PATRONI*, reposcitis. Utrumque hîc humillimus offero, ac ut me meumque hoc rei literariæ inserviendi studium benevolentiæ *VESTRÆ*

clypeo protegere, tutari ac beare ſatagatis, obnixè rogo. Valete, *NOBILISSIMI PATRIÆ VESTRÆ ATLANTES*, & Saluti publicæ rem benè gerite. Dab. Baruthi poſtrid. Eid. April. A. O. R. MDCLXIX.

VESTR. NOBILISS. STRENUISS.
MAGNIFICENT.

Humillimus ac Obſervantiſſimus
Cultor & Cliens

Johannes Gebhardus

PRÆFATIO
ad
Benevolum Lectorem.

QVanta valuerit doctrinâ Philologicâ THOMAS REINESIUS, quantâ excelluerit idem Experientiâ Medicâ, quantâq; δυνάμει τῆ κριτικῆ, quam in libris variarum lectionum cæterisq; Scriptis suis declaravit, uti testatur Johannes Vorstius in Præfat. Epist. Reinesii, inclaruerit Te, Lector candide, nequaquam latere arbitror. Etenim Grrmaniam totam simul atque Italiam, quin & Galliam præprimis, ob insignem Eruditionis excellentiam, summo virum istum in honore habuisse atq; existimatione, notum in vulgus est. Unde factum postea quoque, ut tantâ Viri famâ motus Potentissimus Galliæ Rex; summâ Eum gratiâ complecteretur non modò, verùm ad significandam liberalitatem suam Regiam atque munificentiam quadringentos ipsi coronatos, uti fando percepi, Lipsiam transmitteret. Et dubium certè non est, quin Regiâ pariter gratiâ atque munificentiâ prosecutus Eum fuisset ulteriùs, si Altissimus vires vitamque Reinesio diutiùs concessisset. Dolendum autem summoperè est, quòd eruditissima ejus Scripta, quorum plurima coacervavit atque collegit, lucem publicam hactenus nondum viderint. Optandum itaque præprimis, egregia illa atque suavitate referta, quæ hinc inde ad Viros eruditione non minùs, quàm autoritate celeberrimos exaravit Epistolia, cùm propter elegantem in stylo venustatem, tum propter rarissimas simul ac doctissimas in illis scribendi materias, in vulgus ut disseminentur. Initium fecit Johannes Vorstius, qui ante biennium Epistolarum à B. Reinesio ad se conscriptarum Fasciculum Coloniæ Brandenburgicæ excudi typis curavit. Quas cùm accepisset non ita pri[illegible] Typographus n[illegible]ster Johannes Gebhardus, nec ignorasse idem, quòd cum [illegible] Dn. Parente per integrùm id temporis spatium, quô


Medi-

Medicus Ordinarius æquè ac Consul Rochlizii primùm , postmodum verò Serenissimis Saxoniæ Electoribus Johanni Georgio I & II à Consiliis Medicis per sedecim & quod excurrit, extiterit , quin & mecum quàm conjunctissimè quondam vixerit REINESIUS, non à prima ætate tantùm paterno me prosequens amore , sed & in Academiis studiorum gratiâ versantem, pòst etiam Physicum Snebergensem Ordinarium, & tandem Serenissimæ Principis Altenburgensis νῦν ἐν ἁγίοις per octo ferè annos Archiatrum, crebris iisq; elegantissimis compellans literis : maximo me rogavit opere nominatus Typographus, conscriptas illas sibi ut traderem Epistolas, sumptibus propriis suisque typis excudendas. Permultæ sanè eæq; prægnantes mihi non defuissent causæ, propter quas petitis ejus locum dare non debuissem, præsertim cùm durissima in nonnullis reperire Epistolis verba liceat: quæ tamen nemo , qui sanæ mentis est, vitio mihi vertere poterit, cùm quia nullo modo sibi contradici Reinesius patiebatur; tum etiam quia ego eo tempore discendi cupidus, indies magis magisq; experiri de tanto Viro atque addiscere desiderabam, ob quam causam non jocosa tantùm verba , sed seria insuper quævis atque dura bono animo perferebam.

Quod cùm Viri multi , qui beatissimum nostrum Reinesium nôrunt, non nescirent, mecumque consentirent omnes, simul etiam, istas in publicam emitti lucem Epistolas ut paterer, rogarent, eorum pariter ac Typographi petitis morem gerere nullus recusavi. Has itaque Tibi, Lector Amice, de meliori commendo , summoq; studio ut easdem perlegas, quin & verba morosa atque dura si inveneris quandoq; (invenies autem sæpissimè ,) in bonam partem interpreteris , & si quæ fortè ex Typothetarum incuria me absente irrepserint sphalmata, pro tua prudentia ut corrigas, mihiq; porrò faveas , est quod obnoxiè rogo. Bene ac Feliciter Vale.

Johannes Matthias Nesterus D.
Sereniss. Marchion. Brandenburg. Archiater.

EPI-



EPISTOLA I.

שלשי



On ſum ille δυσπρόσοδος, neque difficilis tàm ad manum amicas haſce injectiones, mi Dn. D. NESTERE; Et noſſe hoc pectus obſervantiſſimum, ſi quodquam, & tenaciſſimum amicitiarum potuiſti jam à novennio è patriâ tuâ, ſiquidem laboraſſes: Sed tu ætatis vitio, quæ talium incurioſior eſt, (eâ ergà te æquitate ſum, vides, ut juventæ transſcribam, quod fortè aliis cauſis poſſem) tum eras alienior: nunc verò echinus ille cortice ſuo exutus eſt, & mituit, quicquid id tandem fuit, factumq; ut quam olim negligere & reſpuere videbaris capillatam amicitiæ occaſionem oblatam, ablatam hactenus jam per literas interpretes captes, ambiasque: B. F. mutare hominem, & in melius. Et certè hæc prenſatio tua ambitusq; deliberatiſſimò nunc à te ſuſceptus eſt, quem ſi olim contigiſſet, ſolus impetus & temerarium πολυφιλόσπουδον peperiſſe videri poterat: & ita amicum non quem primus & ſæpè fallax conſpectus obtulit, ſed quem integra annorum enneas probatum perſpectumque penitus oſtendit adquiſiviſti: Faxo etiam ut expectationi tuæ aliquâ quæ tenuitas mea eſt, reſpondeam, Tuq; ſincerè excolentem te amores hoſce non minore ſerietate à me redamari ſentias. Lis hæc amoris & adfectus mutui inter nos ferveat: amor litium inter varas & vanas illas mentes, quæ illis ut ſanie ulceroſarum carnium muſcæ & cicutâ ſturni pinguefaciunt. Judicium de Chemiatriâ meâ tuum gratiis meis dignum eſt; vereor autem ne adfectum id magis tuum quàm meritum aliquod meum exprimat: τυφλοῦται γὰρ περὶ τὸ φιλούμενον ὁ φιλῶν. Noſti dies diei eructat verbum & nox nocti indicat ſcientiam: & neſcio quomodo alieni labores me impenſiùs delectent, & cupidiùs amentur, diſpliceant proprii. Minas illas Tuas de natura Venenorum, Contagii & Putredinis laudo: etſi τὸ πολλὰ τολμᾶν πολλὰ ἁμαρτάνειν ποιεῖν certò auditurus ſis à Sycophantis, ut ſunt nunc πλείονες ἐκρινῶν φύλλων: miror autem quod ingenii vires in materiebus difficilimis & nemini medicorum, nec doctiſs. Fernelio l. de abd. rer. cauſ. verè-aureo, nec Fracaſtorio acutiſſimo, nec ſubtiliſs. Eraſto ſatis perviſis experiri conſtitueris: Suaſerim ego Tibi τὸν βοῦν ἐθέλοντα ἐλαύνειν, h. e. ſumere materiam ſcri-

bentis viribus æquam. Fiet enim ita ut bovem feras vel ferre possis, si vitulum ferre didiceris. Καὶ ταῦτ' ἐμοὶ δοκεῖν. Tu amici candidam admonitionem & mores ita noveris, tuleris etiam benè, non oderis. Consilium tuum antilœmicum rependo ἰσοῤῥόπῳ τινι: In eo velim examines quæ de radiculâ elsenichio tradidi: quin & in comm. mscript. de Comitiva Palat. Lateranensis idem facito, & si quid super ea monere me potueris, ne omitte. Porismata quæ inde nata sunt consultò rescidi, ut vides: ea lectori emunctæ naris addere facile erit. Inprimis verò videntur mihi ii quibus Comites Palatinos Cæsareos esse sordet nisi & Palatium Lateranense, & aulam Cæsaream, & Consistorium Imperiale superadsuas, entia præter necessitatem multiplicare & titulos eos ita cumulatos inania esse κομπολογήματα. Ita mihi benè longumq; Vale, mi Dn. D. Nestere, & in amore mei perenna. Pariabo. Scrib. Geræ-Ruthen. 30. Jan. 1626.

Commentationis de Palat-Later. ἀντίγραφον præter hoc mihi non suppetit: gratum ergò erit, si hoc meum datâ occasione latoris certi remiseris.

Ὅσος ὁ Σὸς
Thom. Reinesius D.
Phys. Ruth. ordin.

EPISTOLA II.

χαίρειν.

ESto, mi Dn. D. Nestere, SIMUS AMICI, & DUM SUMUS. Sic enim honestè procantem quis sine rusticitatis notâ rejecerit? Sunt amicitiæ in vita hac, quod Sol in hoc universo: & nihil æquè ad doctrinam sive parandam sive augendam confert, quam amicus si fidus ille, si aperti pectoris, si rerum suarum liberalis, ἄφθονος & φιλοκοίνωνος. Ut enim aroma semper odorem tangenti adfricat: Ita Boni & Docti aliquid virtutis suæ & eruditionis. Tum, quod spondes, quà poteris, fove hunc ignem: Ego oleum suffundere nunquam pigrabor. Gratissimum fecisses, si, quod petieram, mea examinasses, præsertim Philologico-Historicum id μελέτημα de Comitiva Lateran. Palatinâ: cui & ipse quid debes. Elsenichium non Wntzero tantum sed & Botanicis, quod sciam, omnibus ignotum est inductumque: unus Turneiserus, (c. 14. hist. plant.) in quem pronuper

incidi,

incidi, exactè depingit. Notum id fuerit etiam aliis, non tamen hoc nomine, quod Marchici, Pomerani Megaloponenses, & cæteri maris Balthici adcolæ imposuerunt. Copiosä reperimus in alnetis ad Viadrum Francofurti, petroselino apiove tenello foliolis non absimile cum floribus seu umbella alba. Et quia nec Galenus (l. de medic. expert.) tacuit quid ab Ægyptio advena didicerit; & Paracelsus (l. de occ. phil. sub fin.) etiam vetulas, Zigerianos, agyrtas, seniores rusticos, &c. præceptores habuisse fatetur, non pudeat medicos, & per rhizotomos circumforaneos profecisse. Hi enim non verum retinuêre, ut vulgus talium tenacissimum est, & radicem socordiâ medicorum, quibus sæpe vulgaria præ exoticis sordent, neglectam officinisq; ignoratam, plebi in usum subministravere. Tertianas hîc habemus epidemias, inprimis duplices, (perperàm vocat quotidianas, qui dierum numero & accessionibus tantùm æstimant, cum deberent signorum proprietate) sed mali, præquam solent, moris, pertinaces, comitatas miris symptomatibus: observavi sese easdem hæmorrhagias narium frequentes & copiosas, angustiam pectoris & summam respirationis sine ullo adfectus thoracis signo difficultatem, herpetes & ulcera ichorem fœtidum fundentia, (conspexi una nocte totum pedem erodere & superficiariè exulcerare seu excoriare) tubercula pruriginosa alba per totum corpus instar monticulorum subitò prorumpentia, subitòq; dispatentia: urinas summè variantes, modò tenues, modò crassas, modò cum laudabili eneoremate: plerumque cum sedimento lateritio copiosissimo & spuma ex albo flavescente; omnes rubras, quæ citissimè turbarentur, & supernè concretam haberent cœruleam nebulam, quasi membranam pinguem. (*Herè observabam membranam illam, quæ hactenus cœrulea fuerat, variorum colorum (instar iridis) puniceam, viridem, flavam variè interdistinctam & splendescentem, reliquo urinæ corpore flavo, cum laudabili eneoremate, in juvene tertiana duplici scorbutica jam per mensem laborante, post sudoriferum exhibitum.*) Feliciter mihi cessit habitâ ratione febris ejusque causæ antiscorbutica alterantia exhibere: quod quia non attendêrunt alii, ludere scilicet & latere scorbutum sub typis febrium, etiam veteranos & exercitatos medicos nihil se perfecisse (& pertæsos ægros reliquisse) conqueri memini. Mixtura antiscorbutica mea, quàm plurimum contulisse expertus sum aliquoties, talis est:

℞. Rhob. junip. ℥vj.
conf. alcherm. ʒjß.
ess. cochlear.
apsinth. an. ℥vj.
melis. ℥ij.
l. sassafr. ʒj.
aq. antiscorbutic. ℥js.
carbuncul. ʒß. diger. aliquandiu, post

colentur. Colaturæ adm. Mixt. è 3. Spirit. ʒiij. Succi è Conf. cochlear. expr. depurat. ℥ijs. Syr. è cinnam. ℥j. calam. ar. ʒß. Ubi febris complicatæ ratio habenda erat, succum acetosæ rec. Syr. Diasereos è succo cichor. endiv. &c. substitui. Extracto Zingiberis sudores movi in illis, in quibus plures scorbuti quàm febris notas reperire erat. Idem obtinui usu salis fraxini, juniper. genistæ, si febris requireret, in aq. sudorif. frigida mea exhibiti. Universim autem verum est, scorbuticos etiam calidiora facilimè tolerare: nam & humor morbificus frigidus, & viscus, quod plerumq; hunc morbum fovet, ipsum frigidum est, & atonia flaccorq; ventriculi, qui semper comitatur, calidis potius quàm frigidis corrigitur. Sed quò vagor! extra epistolæ cancellos jam sum: Tu, mi Dn. D. NESTERE, ignosce, & si quid observas ipse quo artem nostram si non locupletari, illustrari tamen posse censeas, communica. Tantum enim, mi Cl. NESTERE, Tu affectum mihi tuum persevera; Ego Tibi meum, si quisquam, fidissimè simplicissimum purissimumque. V. & S. Geræ d. 25. April. 1626.

T.

omni fide

Reinesius D.



EPISTOLA III.

S. P.

CL. NESTERE.

Ista quidem vis est, ista inclementia FATI
Unam tot pessum stragibus ire domum!
Ista quidem vis est, ista inclementia FATI,
Non uni è paucis parcere pignoribus!

Me

Me miserum PATREM! sed per crudelia Fata,
Fata, quibus nequeas opposuisse manus.
Forma ait, hos oculos, PATER, hæc mea lumina conde.
Salve, vige, & longùm mater amata VALE.
Quid gemis & lacrimas, quod te miseranda relinquo?
Quod commune PATRI est, atq; TIBI, id patior.
Hic cubat HEINRICUS generis spes unica vestri
REINESI, & justam fit cinis ante diem.
Addormit FRATRI quasi trima SORORCULA: nostra
fac lapis inscriptis stet super ossa notis.
Sparge autem flores suprà mea busta viator:
favisti vivo forsitan ipse mihi.
Quodq; futurus eram, me carmine dicito, PHOEBE,
Cultores inter pars quotacunq; tuos.
Hæc ait, & roseæ pallent livedine malæ,
Iucundusq; jacet Syphar inane puer.

* * *

Tu, FILI, angelicas inter, carissime, turbas
lætus abis, positôq; DEUM jam corpore cernis
& frueris meliore die, mandôq; piorum,
nox cui nulla subit, cujus nil gaudia turbat.
Cum dulci NATA salve, FILI optime, salve
æternumq; VALE FILI, ô dulcissime FILI.
Nos mœsti interea flemus, sortisq; futuræ
anxii in extremô miseri squalore moramur
ὡς θαλοὶ ἐκ πυρὸς πρεῶν σωθέντες, *egeni*
& nudi, sceleti solùm larvæq; videndi.

AGnoscis, mi CL. NESTERE, ista à dolore laxato meo esse: sed ignosces simul. Tantum enim vulnus meum est, ut ne tempore, de quo malis aliis omnibus medicinam finemq; venire vetus Sophus tradidit, mitescere ejus dolores, multominus id vel leviter coire posse videatur. O orbitas, quàm triste malum, & quo non ἀνεκλότερον ullum! Tot millia Imperialium perdidisse, direpta esse momento quæ à viginti quasi annis unciatim comparseris; adsiliri, raptari, concuti, spoliari ab impurissimis nebulonibus & Satanæ satellitibus, jocum Fortunæ malè-fidæ pilles esse, si funera domestica filiorum desideratissimorum, & quos senii tandem obrepentis solamen fore rebamur miseri, juxta componas. Ejus mali

ſenſum ad Te etiam, CL. NESTERE, perveniſſe quòd ſignificas tuis literis, hinc pietatem tuam, verèq; Chriſtianam κοινονοημοσύνην, de qua Te plurimùm amo, æſtimare potui; quòd me ſimul tot laudibus oneras id affectui in me tuo reſcribo, non meo merito, habeoq; potiùs pro tuæ voluntatis, imò benevolentiæ, quàm meæ alicujus ὑπερεξοχῆς dignitatisq; teſtimonio. Si qua in me virtus eſt, candor eſt, & humilitas, eaq; non adfectata: Ea dum gloriam fugit, gloriam, puto, meretur. Alii ſunt ἀνέλοι ἐν νεφέλαις. Ego verò humi repo, terramq; pennis rado paſſer ut marinus ſolet, benè conſcius & humani intellectus anguſtiæ, & rerum ſcitu neceſſariarum infinitiei. Maximum eorum quæ ſcimus minimum eſt eorum quæ ignoramus: quod ſi plures hodiè intelligerent, minus invidi, minus eſſent ſuperbi; quanquam quî poſſent aliter homines imperitiſſimi, & nullo prætereà alio quàm ſuo typho, quo ſimpliciores, & præſumtione ſcientiæ, quâ ſeipſos deludunt, conſpicui, quàm eſſe impudentiſſimi? cum quibus propterea in certamen fruſtrà quis veniat. Μακρὰν χαιρέτωσαν iſta monſtra θυριώδη καὶ θεοβλαβῆ, & ſint per me vel

inter præcipuos, ſitq; illis aurea barba:

Sufficit τὸ εὖ εἶναι μετ' ἐμοῦ, & viros prudentes & graves, licet paucos, deteſtari tales una mecum. Ego verò nec poſthac deſinam publicè benè mereri, ſolâq; conſcientia promotorum commodorum publicorum, DEO permittens cætera, triumfo; etſi ſolennis infelicitas mea, qua pro benefactis malè patior, deterrere poterat. Sint ſanè iſta nunc quidem; at erit aliquando poſteritas, quæ quod amiſêre, quod ſprevêre hi majores ſui, requiret ſtudioſè, amplexabitur cupidè, & lubenter deprædicabit. Sed quò delabor? Filiis, heu! meis cippum erexi marmoreum, cujus exemplum mitto: chartaceum etiam molior; eòq; apud amicos ἐπιθαλάτια corrogo: Iis ſi & te adjunxeris, miſerisq; breve aliquod & quod ætatem ferat, quamprimùm, feceris mihi per quam gratum. Ut autem de redhoſtimento certus ſis, & de ſtudiis meditamentisq; meis judicare poſſis, en, in anteceſſum caput unicum ex Adverſariis meis medicis. Si quid ſentias, ſi delectari te divino Critices ſtudio reſciero, habebis ejus generis plura. De hoſtili incurſione varii nos rumores terrent. Vereor

— — οὔπω πάντων ἐπὶ πείραθ' ἀέθλων
ἤλθομεν, ἀλλ' ἔτ' ὄπισθεν ἀμέτρητος πόνος ἔσται.

DEUS protector noſter miſereatur noſtri

— καὶ φήμας εἰς τὸ λῷον ἐκδραμεῖν
τεύξειε. Tu, CL. mi NESTERE, me ama, & amorem tuum mihi

con-

conserva; simul cum Tuis benè longumq; Vale ac salve. Scr. Akenburgi d. 11. Febr. 1634.

Tui

studiosiss.

T. Reinesius D.

EPISTOLA IV.

CL. NESTERE, Dum Hippocratem tuo-meum pervolito, multa quæ ne intelligam quidem, multò plura quæ pravè, si interpretum oculis utar, & quæ quisq; ex ingenio commentatus fuit, ne dicam commentus, securus arripiam, sese mihi obferunt. Quanquam autem nonnulla ex isto genere ad artem non adeò pertinere, sed ad πολυμαθημοσύνην amplissimumque Philologiæ studium, & à medico fortè impunè nesciri fatear; nefas tamen duxerim talia, quod pars sint scriptorum Hippocrateorum pro inutilibus & investigatione indignis fastidiosè rejicere; quod facere tamen Galenum, hoc ipso sibi dissimilimum, & studium Doctorum circà talia satagentium sugillare, com. 2. ad l. 1. epid. t. 83. comm. 1. t. 5. ad 3. epid. & 2. ad 3. epid. extr. & passim, satis mirari nequeo. Ita sanè statuo; vel sola Hipp. divini autoritas facere debebat, ut qui nominis ejus studiosi sumus, etiam apices monumentorum ejus omnes excuteremus, nihil temerè adnotasse statueremus; ideoque in obscuris per libros ejus indagandis & illustrandis, in luxatis per tot secula restituendis, in emendandis corruptis, in fugitivis & neglectis autori suo reddendis nulli operæ parceremus, nulli labori: Idemq; sensêre interpretum Hippocratis nonnulli ante Galenum. Certè nomina patriasq; ægrotorum & loca in quibus decubuêre supersedisset adscribere, nisi ad morborum occasiones & causas exactiùs cognoscendas & dijudicandas ea quæ ægroto obvenêre, aliquid conferre posse statuisset. Quæ ergò socordia est, quæ malitia, si qua in ejusmodi minutiis (adpellet sanè Galenus argutias inanes) corrupta esse animadvertimus & emendatiùs legere posse speramus, vel invidere seculo, vel nec minimum eò contendere? Medicus περιοδευτῶν & clinis ægrotorum deditus non necessariò talia sciat; at interpres tamen Hippocratis, docens, & conversans cum Doctis non absq; pudore nesciet; neuter autem sibi impedimento esse si sciat, dicere audebit. Quare Galeni iniqui-

tatem

tatem quâ illos, qui ea, quæ artis medicæ ſunt, probè enarrare nequeunt, ad tales argutias deflectere ſcribit com. 2. t. 82. l. 1. Epid. itemq; moroſitatem, quando talia inquirenda illis relinquor qui medicinalia prætereuntes Hippocratem ut Grammatici malunt quàm Medici interpretari com. 2. t. 35. in 6. epid. nihil moror, neq; in parergis ſuperfluus neq; in neceſſariis deficiens. Τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν ἄγαν με τέρπει. Et cur quæſo Grammaticos tantoperè vellicat, qui ſibi à ſtudio Gramm. tàm temperare non potuit, ut commentariorum de vocabulis, Atticis maximè, libros 48. & de vocabulorum rectitudine alium, conſcripſerit, fatente ipſo l. de ordine libr. ſuorum c. 6. Securus igitur judicii Galeni, quod perverſum hîc quidem eſt, pergo in Hippocrate emendando, uti voluiſti. Textum iſtum l. 4. Epidem. Ὁ ἀπὸ τῦ κεραμέυ ἵππυ κατα πεσὼν, ᾧ ὀυ προσεβλήθη αὐτίκα σικύη, ἔσω ἐκαύθη: quæ Foëſius ita vertit, qui è fictili equo cecidit, cui nec illicò admota eſt cucurbitula, intus uſtus eſt: cum lego, riſu ferè concutior, & ſupinitatem interpretum, ſcilicet ita habebant omnia exemplaria, etiam manuſcriptum regium, inquit Foëſius, conſpuo. Quid, viri boni? Ergò ne inter figulorum in Græcia opera erant etiam equi tantæ magnitudinis, ut ſi qui ſeſſor decideret, Chirurgo opus haberet, fracta ſcilicet coſta, vel concuſſo cerebro, vel fracto femore? Quantæ verò, quæſo, fornaces, ubi equi iſti coquerentur? Nugæ. Una literula eſt, quæ tàm abſurdam & ridiculam ſententiam, & quam nemo ſanus (illos enim omnes cum ratione inſaniviſſe puto, qui hactenus ita legerunt, ita acceperunt, ita interpretati ſunt) percipiet, peperit, π ſeu π pro ν poſita. Lego, ὁ ἀπὸ τῦ κεραμέυ ἰπνοῦ, & verto, qui de fornace figuli, vel de furno figulino ceciderat. Hæc emendatio mea probabit ſe ſpero Doctis omnibus, ut ego taceam. Neq; igitur laborandum mihi eſt in ſtolida ſententia detegenda; prodit enim ſe ſatis ipſa; & quia reprehendere ſedulò, quæ nulla digna ſunt ſedulitate, ineptum eſt, Galeni monito comm. 1. ad 3. Epid. Quiſq; verò judicet. B. V. & S. Scr. Altenburgi 19. Aug. 1634.

T.

Reineſius D.

P. S.

Clariſſimo WEITZIO, *qui me albo Poëtarum Thuringiæ inſcribere voluit, & quod olim fecerat, nuper admodum literis mihi ſignificavit, ita pro prolixa gratia ſua egi gratias:*

Inter DöRINGOS & ME cenſere POETAS
qui non ſim, WEITZI, νὴ Δία, ſuave nefas.

Non

Non aliter poteras felicior esse POETA.
Fingis enim & non-ens ens tamen esse facis.
(a) Sic Tibii quondam contemtô vilis Othone (b)
In bis septenis visa sedere manus.
Victima quô centum de cruribus est Hecatombe: (c)
Hôc eôdem fuero nempe POETA modô.

Et ex intervallo.

Deprecor hos, WEITZI, Pœnos, Arabasq;, Syrosq;
Sin; Tu TE IPSE mihi Car, Geta -- --
Si laudare voles, fac de propiore: mearum
Fortè aliquid laudum suppeditet patria.
Quæ de longinquis narrare Palæphaton (d) audit,
Vix ea pro veris vulgus habere solet.

(a) *De Tibiis, servili genere Galen. 1. m. m. c. 1. Tibius servile nomen apud Atticos.*
(b) *Alludo ad Roscium Othonem, qui primus instituit Patritios sedentes in quatuordecim spectare ludos, plebem servosq; seorsim & stantes.*
(c) *De Hecatombe* τῷ ὄντι *seu verâ &* ψευδωνύμῳ *vide Hofm. comm. ad l. 3. Gal. de usu part. c. 10.*
(d) *Palæphatus mirabilium historiarum scriptor, & qui quæ omnibus videntur paradoxa & incredibilia, persuaderet tamen.*

EPISTOLA V.

CL. NESTERE.

Singulariter me TIBI devincis candore isto tuo, quem spirant gratissimæ mihi & ἰσάργυροι literæ, quas nunc abs te accipio: In eo verò, per communes Musas te rogo, mihi persevera; redhostiam, si potero, amicitia, cultu & officiis. Verè autem divinas me in Proloquio Diatribes de L. P. tangere bucconem & brochum istum αὐθαδόστομον, vacantivum, & arrosorem doctorum, quos imitari non potest, omnium. Is verò sibi res suas habeat: invideat, ringatur, & irriat dum ilia ipsi rumpantur. Ego felicitatis meæ partem in eo sitam esse puto maximam, quod mali & imperiti me oderint; dum ament & admirentur boni & periti. Solidam à

me inibis gratiam si mea tanti esse putaveris & pellegeris; solidiorem longè, si de quibus dubites me apertè & liberè monueris. Quod ut facias, en, laciniam mearum Variarum sub prælo tamdiu, tàm morosè gementium: Excusi sunt præter 24. hos, quos mitto, quaterniones XVI. sed eos mittam cum liber secundus fuerit absolutus. Expectare autem jubeo ejusmodi minimum X. Velim etiam ne in vulgus dimanent per TE, antequam colophonem iis impositum videris. Operæ typorum lentè procedunt, quod me malè admodum habet. De Professione in Acad. Witteb. significo, à Dn. D. Oppelio dudum ad me esse perscriptum & exquisitum, vel tentatum animum meum: nondum ei respondi, quod quid facturus tandem sim, nondum constituere potuerim. Remora in conjugio, quo incommodo utor, maxima est, & in tricis rei familiaris, in quas se induit antehac, & me involvit nunc simul uxor. Invenient, spero, Fata viã. Etsi enim non una vice ad hanc vel aliam lucem seu professionem vocatus sim, non expugnari tamen me passus sum, ut tales illecebras & arrisum famæ qualiscunq; præferrem huic, cum qua per DEI gratiam vivo, mediocritati; in qua etsi non caream æmulis, qui me exerceant, facilius tamen unius alteriusvé incommodos mores tolero, interdum quoq; carpo liberius, & audentius oppugno temerè mihi adversantes, quàm in Academia tot factiosorum ambitiosorumq; intemperies eram sustenturus, ubi nimirum συῤῥάξεως alicujus & scandali metus major, & sæpè falsa quoque, quia vel inveteraverunt vel animis seductorum & minus intelligentium imbibita sunt penitiùs, sinere oportet, dum agnita sponte & sine strepitu evanescant. Crastino Dn. D. Opelio respondebo; sed aliud, quàm quod TIBI, non potero, nisi nox certius quid suggesserit. Cur splendidiore loco esse adfectarem ego, cui in obscuro hoc angulo malevoli invidiq; adeò detrahunt, & clanculum (nemo enim audet cominus) insultant? tum verò omninò contabescerent, scio. Quicquid sit, commendo vias meas DOMINO, IPSE faciet. TU, mi CL. NESTERE, in amore mei perenna & persuade TIBI, quicquid REINESIO fueris gratificatus, non perire, sed cum fœnore aliquando ad Te rediturum. Optimè Vale, mi amicissime NESTERE, & quamprimum αὐτοπροσώπως, si potes, ad me vise. Excipiam Te, prout potero, humanissimè, & habebo gratissimè. Festinantissimè Altenburgi 13. Jul. 1634.

T. Excell.

omni adfectu & fide & officiis dicatiss.

D. Reinesius.

P. S.

Reſpondiſſem maturius, niſi luctu acerbiſſimo ſuper obitu conjugis dulciſſimæ nunc defungi, DEO ſic diſponente, cogerer. Occubuit autem ea die morbi undecimo, invaſa XV. Julii dum peregrè per triduum abeſſem, hæmorrhagiâ ex utero, obruptas, ſine evidente procatarcticâ causâ, uti quidem referebat, ullâ arterias tàm uteri ipſius quàm fœtus: quam extremo quarti menſis gravidæ non niſi lethalem accidere potuiſſe certò certius eſt; idq; præſenſerat ipſa primô accidentis impetu, eoq; abjecta vitæ ſpe omni, compoſitis maturè rebus, commiſsâ DEO animâ, mortem maſculè excepit, eamq; 26. Jul. hor. 12. nocturnâ placidiſſimam obiit, me ſpectatorem ἐπιδανὸν ἄκικον καὶ ἄδρασον miſeriæ ſuæ & immiſſi divinitus deplorati adfectus potius habens, quàm medicum. Iterum Vale. d. 31. Jul. 1634.

EPISTOLA VI.

CL. NESTERE.

TU verò βάλλ' οὕτως. Perge mecum, quæ in literis vel ſecurè nimis arripuêre, vel præteriêre faſtidiosè, vel infeliciter conſtituêre priores expendere, interpretari, diſpungere. Utilitas publica erit & bonum ſeculi, cui nati ſumus; etſi in eo ſint, qui nos natos eſſe fortaſſe nolint: Ita acerba res eſt ſuperciliosis & delicatis noſtris δοκησισόφοις & ὀιοβόταις veritatis indicina & caſtigatio, etiam juſta. Ego verò ſemper judicavi judicio, imò ſenſu carere eos, qui cum homines ſint & errare ſe poſſe ideò non neſciant, iſtâ tamen peſtilente perſuaſione, ſua examine omni ſuperiora eſſe, neminem audere contrà hiſcere, adflati turgidiq; incedant & contradicentem neminem ferre velint. Miſeros Suffenos, & qui fruſtrà magna & gravia quævis ſecum cornicentur homullos! In gratiam veritatis proprias ſententias confutare, ea verò Sapientum conſuetudo eſt, qui pro Sapientibus habentur vel propterea, quòd ſua non ament nimiùm & ſibi plus juſto non tribuant credantvé, æſtimatores etiam aliorum. Qui verò nihil niſi quod ipſi fecerint dixerintvé rectum putant, contemtores reliquorum omnium, inſipientibus meritò adcenſentur: Omnis quippe ſuperbus eſt ſtultus. A Cl. Barthio, quem tu tantùm non in cœlum efters, & quem ſua defenſurum eſſe ſcribis, nihil indigni iniquivé ex pecto; tàm licet ipſi in

meis, si quando lucem adspicient publicam, (lenta autem res est, & fortasse incumbent in spongiam, ut olim illius Ajax) quàm in ipsius mihi licere visum est experiri; non existimo autem Soli oblocuturum esse. Sunt enim pleraq;, quæ nunc quidem produxi, adeò certa liquidaq;, ut nisi temerè litigare velit, ne calamum quidem contradicturus mihi tingere debeat. Perpende, quæso, mi carissime NESTERE, ἄνευ πάθους, ubicunq; ab eô dissentio: maximè verò examina, quæ cap. 8. l. 2. quo ejus in Plinium Valerianum, dictum Empiricum illatæ emendationes producuntur, trado, & miraberis hominis doctissimi manifestissimas inscitias, frustrationes, & puerilia παροράματα, audaces etiam conjecturas in autorem non intellectum invectas deprehendes magno numero. Istas si quis præfractè tueri præsumserit, eum ne sani quidem capitis esse dixero; Barthium autem mecum fore & visurum me, quamvis indigno indice, id quod verum est nullus dubito. Ecquid verò Cl. Meisnerus? Nam & ab isto dissentio, ut vides: an & hunc offendit candor meus & καλόσπουδον? DI meliora! Tu Cl. NESTERE, utrobiq; officium tuum, hoc est, amici, facies, & omnia, quæ virorum, cæteroquin bonorum ac eruditorum, malè suspicacium morbus sinistrè interpretari velle videbitur, tuâ moderatione salvabis: malevolorum & invidorum οὐδεὶς λόγος; Iis igitur ne tenta quidem respondere. Hoc unicum TE per communia hæc Musarum sacra rogo, ut subindices mihi, quisnam sit ISTE, quem meis partibus minùs favere videas. Novi me, TE, non placere omnibus, ne quidem si placentæ essemus, ut de inimico non adeò quærendum mihi sit; expedit tamen scire quem amicum quem inimicum habeam, ut cuivis prudenter cautèq; converser. Aliter enim amico, eiq; probato me ostendam; aliter homini fidei dubiæ me adcommodem; aliter Ei, qui me odio sive merito aliquo meo, sive gratis h. e. cujus ipse fortasse nullas rationes habet, persequitur. Dejerare ausim, Eum quem me odisse ais, me ne novisse quidam, multòminus aliquid mali à me passum esse: Cur igitur odit ignotum, innocentem? Calumnia fecit, ut tàm gravi in proximum suum peccato se innodaret sciens: auribus igitur ut pendeat dignus est qui calumniantem non audit tantùm, sed & ei obedit; O tempora! O mores! Accipis nunc quaterniones quindecim; ultrà enim non progressus est Typographus: & strigat nunc planè: Vides igitur facilè fieri posse, ut lucem nunquam adspiciant ista; & propterea carere poterunt nonnulli hoc metu, qui hactenus ipsos torsit, partim iste, errores suos publicè innotescere, partim ille, Reinesium nimis inclarescere, quam ipsi obscuratum, immò perditum mallent.

mallent. Benè Vale cum Tuis, Cl. NESTERE, & quamprimum responde. Scribo ἀυθωρεὶ, cum me tuæ Gnandensteinio redderentur, 31. Mart. 1638.

Tuus seria fide

Reinesius D.

EPISTOLA VII.


CL. NESTERE.

CUm Varias meas Tibi misi, præstiti quod receperam: quorsum ergò tantæ tuæ gratiæ pro debito soluto? Deinde neq; tanti sunt eæ ut prolixas gratias promereantur. Saltem lege, judica, & pronuncia; sed ἄνευ πάθους; non enim prohibuissem Te à me dissentire si aliò aurigatur ratio & Veritas; impunè id licet, & amicitiâ nostrâ tamen salvâ. Id vero quicquid sit, quod me non pervidisse rebaris, candidè perscribe; quod percipere non potes, de eô vel morosè me interroga & liberè; amo enim ἀπροσηλικῶς, ζηλητικῶς, καὶ ἐξεταστὰς, si quisquam & neminis dissensu, si rationabilis sit & modestè instituatur, offendor quidquam. Id saltem genus nequam odi, qui quæ non intelligunt, carpunt; antequam intelligunt, lacerant; & quæ adsequi desperant, deæstimant. Laudes verò istas sentio esse me amantis; amantium autem plerunq; pravum judicium est; præterea sarcina mihi venit inde, unde æstimas rem præmii commeare ut loquatur cum Ennodio; quomodo enim sustinebo tàm amplas laudes tantillus? quomodo satisfaciam tam luculentæ expectationi ego qui me humi repere scio, sed quem Tu ad cœlum usq; extollis? Deprecor igitur istas laudes; cognosco amplectorq; adfectionis calorem; qui ne divisione locorum & silentio quocunq; tepescat provide. Persevera mihi favorem istum, imò auge; in reliquis te velim parciorem; ecquid enim sumus homulli, etiam cum magnum spiramus? Ex omnibus aliquid fortasse fieri potest; è singulis minus pœnè quàm nihil: ad quem ἐξουδενισμὸν quotidiè me proficere sentio etiam cum in literis maximè proficere videor. Ego de humanæ perfectionis schemate nec præsumo aliquid, nec tamen timeo: removeatur fiducia literarum inaniter concepta, & formido tamen absit; fortasse qui officium locumq; inter summates renuit verecundè, luculenter

& constanter implebit. Ita mihi, mi cariſſime NESTERE, optimè Vale & ſalve. Altenb. Cal. Jul. 1640.

Tuus omni fide

Reineſius D.



EPISTOLA VIII.

CLARISSIME NESTERE:

UTinam heſterno diei ſimiles alii mihi illuceſcerent! Etſi enim iter non fuerit ſine moleſtiâ; eam tamen ſuaviſſima veſtra converſatio, & vultus amiciſſimi, & frontes limpidæ, & literatæ fabulæ omnem mihi deterſerunt adeò, & jucundiùs me diem agitare vix meminerim: ita me veſtra omnia delectarunt. Benè autem TIBI ſit, mi cariſſime Dn. D. NESTERE, qui ejus gaudii mihi fuiſti pararius, & me non ſolùm IPSE amantiſſimè complecti voluiſti, ſed ut idem faceret Ampliſs, Dominus Præfectus , dux autorq; extitiſti: Pro qua inſigni benevolentia ecquid TIBI rependam? Γνήσιός εἰμι φίλος καὶ τὸν φίλον ὡς φίλον οἶδα: ſcilicet hoc in manu mea eſt, ἀντιφιλεῖν τοὺς φιλέοντας. De aliis, quia à tenuitate mea proficiſci nequeunt, nolo Tibi fieri vanô promiſſor hiatu; odi enim factioſos linguâ, inertes operâ. Hodiè familiare eſt, quod de ſuo tempore querebatur Moſchus: ---- κακαὶ φρένες ἡδὺ λάλημα; ſed me à talibus noveris eximium, & de candore meo omnia ſumma Tibi pollicearis; Eum in filium quoq; tuum, & ſi quid præterea valuero omne, lubens lætusq; derivabo; & ab hoc ipſo momento deliberare incipio, quî NESTERIS benefaciam. Manuſcriptos tuos Græcos (ſunt autem duodecim) & Suidam Baſiliæ excuſum, quamprimum licuerit per occupationes, diligenter evolvam & conferam; diſpiciam etiam quid cum unoquoq; fieri poſſit. Unus alterq; ſunt qui hactenus ἀνέκδοτοι videntur (poſſum tamen de hoc falli) non indigni tamen cognitione φιλομαθῶν. Si vitæ uſuram mihi concederet Omnipotens: inſigne aliquid de iis & cum iis minarer. Sextum adverſus diſciplinarum quarumvis Profeſſores (hi enim ſunt quos vocat μαθηματικοὺς: quod non omne hactenus intellexêre) omnium primùm ſalutabo & comparabo cum interprete ſuo Gent. Herveto; cujus verſio, quâ ſolâ hactenus uti potui, ſæpè mihi ſtomachum movit. De precio (donari enim mihi nolo quæ in liberorum tuorum patrimonio cenſentur) optimâ fide tecum conſtituam

situam cum ad Vos venero; veniam autem εἰ θέλῃ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, certissimè quamprimum à molestiis hisce περιόδοις & curationibus variolicorum respiravero; non veniam tamen nisi præmisso, qui ne intempestivè veniam, de rebus vestris expiscetur & renunciet; nolim enim Vobis molestus esse aut occupatis me ingerere; nihil odiosius ἀκαίρῳ. De causa morbi & mortis ἰοῦ δεῖνα, quam philtro quosdam tribuere scribis, vanum est, & ulterior omnis disquisitio supervacua. Laboravit febris illa specie, quam à principali Symptomate causum cordis & prunellam vocamus vulgariter; alii Ungaricum morbum: alii ἐγκεφαλόνοσον. Eum quia Ungari vernaculum sibi Eschemmerle h. e. vermem cerebri adpellant, quid miri est, si cerebrum ejusq; actiones inprimis eo lædantur; & hinc atroces dolores capitis, vigiliæ, comata, deliria & convulsiones inexpugnabiles eum comitentur & terminent. Ursâ igitur præsente vestigia ejus quærunt, & cum duo tantùm sint, tria tamen, ut est in adagiis, vident, quibus ista Symptomata quæ manifestas ex ipsa morbi natura resultantes causas habent, ad occultam vim philtri, ignoti cujus, & à quibus, & quando exhibiti, referunt. Super gesticulationibus variis & motibus convulsarum partium pariter nihil est, quòd mireris: respondent enim tales tàm imaginationi, quæ quia per variorum idolorum oblationem corrupta est in talibus, etiam variè ineptit; quàm diversarum in genere nervoso partium seu differentiarum à fumis malignis factæ vellicationi. Convulsiones illæ admirandæ, quarum ex Horstio meminisi (reperies exempla similium in Höchsteteri observat. decadibus & alibi) ad casum nostrum nihil attinent: ibi enim morbi primarii locum habuêre, & adflixêre cætera sanos; item ex intervallis benè longis hîc verò ἐπιγένημα fuêre, morbi acutissimi supervenêre collapsis viribus ægroto, eòq; extremi periculi signa facientes potius ad formandum prognosticum, quàm ad curam sui instituendam. De soporifero poteras omittere quod scribis: meministi enim non fuisse exhibendum, nisi à delirio (quod semper ajebas esse periodicum; ego continuum fuisse, non semper eadem vehementiâ, & ἀσαφὲς, puto, vel primo febris insultui cohærens, vel paulò post superveniens) se recollegisset modicùm: In acutis juvenum præsertim, morbis, tempestivè sobrièq; exhibita narcotica quid præstent, nolo Tibi ab experientia mea, est enim sanè quàm tenuis, suggerere; ratione hoc deprehenditur, & testimoniis gravissimorum autorum constat, multos eorum sobrio & tempestivo usu, cum desperata viderentur omnia, & metus tamen incertus esset, ex orci portis revocatos esse. Imò satius est, medicamentum anceps, quo tamen ægro-

ægrotum nihil læſurum te eſſe ſcias, experiri, ſi per rationes ægroti liceat, quàm omninò nullum. Quare non eſt ut conſilium iſtud meum, quod cum conditione dabam, tanquam abſolutè datum interpreteris; hæc enim eſſet Sophiſtica cavillatio. Utile futurum erat, ſi adhibere ægroto potuiſſetis: nunc quia adhibere non potuiſtis, eventû ſcil. mortis præventi, quid opus eſt gratias agere DEO quod non adhibueritis? merè ἀσύγκλωστα καὶ ἀδύστατα ista ſunt. Quemadmodum nihil agendum eſt medico prudenti & cordato, quo famam aucupetur, & adplauſum imperiti vulgi; (eſt enim iſte inter brevia, fugacia, caduca) hoc Hipp. l. περὶ εὐσχημοσ. adpellat ποιεῖν μετὰ φαντασίας: vide ſis Varias p. 143. ita nihil quod ad ſalutem ægri facturum eſſe agnoſcit, de quo tamen ſiniſtrè judicaturum eſſe opinatur vulgum, omittendum eſt: artis regulas & conſcientiam ſuam debet habere pro norma: quibus ſi ſatisfecerit, ſive laudetur ſive culpetur ab imperitis, habeat in promiſcuo. Quid enim timeas, ſi imperiti culpam tibi impingant, quâ tamen careas? Magnum ſolatium eſt, inquit Tullius ad Marium, culpâ carere: & ad Torquatum: Conſcientia rectæ voluntatis maxima conſolatio eſt rerum incommodarum: & ad Toranium l. 3. ep. 22. Magna conſolatio eſt cum recordaris, etiam ſi ſecus acciderit, te tamen verè ſenſiſſe & rectè egiſſe. Crantor hoc φάρμακον ἀλυπίας eſſe dixit, ſcil. ſi ſcias te rectè & ex artis præſcripto egiſſe, nihil pertimeſcendum eſt, nihil dolendum; ſi feciſti ea mente, quam ratio & veritas præſcribit, culpâ carebis, & omnia humana placatè & moderatè feres: Peccati autem dolor, h. e. ſi te erraſſe, tua opera læſum eſſe ægrotum, agnoſcas tandem, & maximus & æternus eſt. Ignoſce, mi CL. NESTERE, ſi hæc tibi φιλοσοφικώτερον καὶ μετὰ παῤῥησίας ſuggero: videris enim in hoc negotio fluctuare: Ego verò Te, ſi qua poſſim, adverſus humana iſta, quæ nemo etiam cum maximè cavet, etiam cum ſuis optimè geſtis, effugere poteſt, firmare exemplô meo velim: ſanè ab amico benevolo & de quo amica quævis tibi ſpondes, proficiſcuntur iſta, & benevolè te accepturum & in optimam partem interpretarum ſpero: nihil in me fellis, nihil fuci eſt. Poſſem in eam rem plura ſcribere; ſed τὸ λίαν ἀκριβὲς, λυπηρὸν: & ſpero me Tibi ſic ſatis expoſuiſſe mentem meam. Optimè Vale, mi optime NESTERE, & favorem tuum mihi perſevera. Scr. properanter ad lucernam 13. Jun. 1642.

Tuus omni fide

Reineſius D.

EPI-

EPISTOLA IX.

CLARISSIME NESTERE.

SUidam tuum hoc latore recipis & ſimul pro commodatô gratias ; nihil adeò mihi profuit, quòd Æ. Portus, quo ego utor, ſuam Colon. Allobrogum An. 1619. excuſam ex hac edit. Baſil. expreſſerit ; unde factum eſt, ut ubiq; iſti ſimilis ſit. Venetianam Aldi correctiorem eſſe deprehendo è notis Porti & lectiones ejus, ubi ſcil. διϊογραφία eſt, meliores. De Codd. tuis manuſcr. plus ſperaveram: ſunt autem pleriq; interea excuſi; arbitror è bibliothecis Venetis deſcriptos eſſe & quidem ante annos non plenos nonaginta. Non ſunt igitur ea, quâ videbantur eſſe, vetuſtate. Librariorum qui mercede aliquos ex illis deſcripſerunt, alter ex Epidauro alter ex urbe Peloponneſi Navplia fuit: non nimis docti & qui hoc ſervitii genere libros deſcribendi vitam tolerarunt, cum an. Chr. 1551. Nunc de unô quovis volumine ſigillatim: De Chronico, quod Συγγέλου, Syncelli, qui vixit cum Patriarcha CPolitano Taraſio cum an. Chr. 800. fucum nobis fecit ille, qui titulo huic, χρονικὸν σύντομον ἐκ διαφόρων χρονογράφων ἐξηγήτων, συλλεγὲν γὰρ καὶ συντεθὲν ὑπὸ Γεωργίου ἁμαρτωλοῦ μοναχοῦ primùm concepto, alia manu præfixit hunc Γεωργίου τοῦ Συγγέλου. Syncelli enim Chronicon fol. 19. incipit: Eſt igitur iſta ῥαψῳδία alîus Georgii; & ſi divinare licet ex annalibus Georgii Cedreni monachi, quos à condito mundo usq; ad Iſ. Comnenum deduxit deſumtum fragmentum mutilum; non autem pertingit usq; ultrà Alex. M. tempora. Cum autem Syncelli Chronicon in hoc codice ab Adamo ad imperium Michaëlis cum Theodora matre, cujus initium cum anno Chr. 841. coincidit, perductum ſit, adparet hinc dubium aliquo modo eſſe, quod hactenus adſeruêre docti, Voſs. l. 2. de hiſt. Gr. c. 24. & Scaliger in Epiſtolis, Syncellum deſinere in Diocletiano reliqua in ejusdem Chronici ſerie ad Heracleonam Imp. usq; addidiſſe Theophanem. Etſi verò quæ in Cod. biblioth. Auguſtanæ ad Heracleonem usq; leguntur, Syncello adſcribantur: non impedit tamen, etiam reliqua quæ ad annum usq; 841. eidem tribuuntur in Codice tuo, qui omnia iſta uni Syncello autori adſcribit, nusquam Theophanis meminit, Syncelli eſſe: & hoc modo tuus ille Codex & Auguſtano, & eo quo Scaliger uſus eſt, fuerit integrior. Sin placet adſentiri Voſſio (teſtantur enim Cedrenus & Glycas Syncellum morte præventum in Diocletiano deſinere, tum incipere Theophanem ei coætaneum) dicendum erit, tuum Codicem

eo loco quo nominare Theophanem debebat, scil. initio Constantii Chlori, mutilum esse, omissâ nimirum mentione Theophanis. Ita nimirum fit ut librariorum negligentia volumina alia aliis sunt fusiora, alia contractiora. Quæ post Syncellana, sive Theophaniana sunt, leguntur in hoc Codice, Logothetæ cuidam tribuuntur & continent historiam, maximè urbis CPolitanæ, annorum 120. (cum enim ab Imp. Michaële incipiant, desinunt in An. 960. quo Romanus Imp. CP. obiit.) Iste Logotheta, ab officio ita dictus quis fuerit & quando vixerit, non liquet: nisi ille Georgius est qui historiam annorum 58. nempe ab An. 1203. descripsit. Omnes autem quos hactenus nominavi Chronographos Cedrenum, Theophanem, Syncellum, typis expressos, quos cum Codice tuo conferre oportet; mirè enim differunt Codices mscr. unius provinciæ à Codicibus alterius; tuus sine dubio è Venetis bibliothecis descriptus est, hinc inde tamen librarii negligentia imperfectus & cum vastis lacunis.

II. Georgii Pachymeris qui circà An. 1280. floruit, Philosophiam Aristotelicam XII. libris constantem, qui nihil aliud sunt quàm paraphrasis omnium totius Philosophiæ Aristotelicæ partium, Latinè vertit Phil. Beroaldus: ediderunt Basil. An. 1560. Græca hactenus inedita esse puto. Particulæ ejus paraphraseos in bibliothecis Italiæ hinc inde conservatæ fuerunt, teste Gesnero: tuus autem Codex integram hominis istius operam exhibet. Extremo ejus sub titulo περὶ μηχανικῶν, tractatur quæstio, quî fiat quòd dentes faciliùs instrumento dentiduco, quàm manu educantur: cujus lectio ad medico-mathematicum pertinet. De cæteris habebis quamplurimùm: Nunc TE Valere & salvere jubeo, mi Caris. NESTERE, Altenb. 18. Jun. 1642.

P. S.

Pinguedinis asciæ piscis modicum velim si potes, mihi colligas, & primâ quavis occasione mittas.

Tuus fide seria

Reinesius D.

EPI-

EPISTOLA X.

CLARISSIME NESTERE.

UT fidem meam VOBIS liberem, pergo in Codd. tuis mſcr. recenſendis.

III. Theodori Metochitæ CXX. argumenta ſeu capita, continent Philoſophica è Phyſicis Ethicis & Politicis deſumta plurima; hiſtorica nonnulla; num. etiam III. hiſtoriarum cognitionem cuivis literato maximè neceſſariam & rem in communi vita utiliſſimam eſſe docet. Criticen exercet cum de Xenophonte c. 19. de Platone & Ariſtotele, c. 12. 2. 5. 10. 21. 25. & alibi: de Plutarcho c. 71. de Philone c. 15. de Joſepho c. 14. de Dione Pruſicenſi c. 18. & Syneſio c. 17. deſerit. Ad Oratoriam pertinent θρῆνοι, quos adpellat, ſuper ſtatu Imp. Rom. infelice c. 37. 38. 39. 40. ſuper vitæ humanæ miſeriis, c. 27. & inſtabilitate fortunæ c. 127. de quâ ipſe optimè dicere potuit, qui de ſummo honorum faſtigio (erat enim magnus Logotheta, ab Imperatore ſecundus) in extremam egeſtatem decidit, in exilium ab Imperatore Andronico Jun. ejectus, bonis omnibus ſpoliatus, monachi habitu ſumto obiit An. Chr. 332. Reliqua hujus viri planè ſummi & majoris ſeculo ſuo ſi voles cognoſcere, vide Meurſ. notas in ejus hiſtoriam Rom. & Voſs. l. 2. de hiſt. Græc. c. 28. nondumq; ſciam edita ſunt iſta κεφάλαια, lectu tamen digniſſima.

IV. & V. Olympiodori comm. in Platonis Dialogos 4. Alcibiadem, Phœdonem, Philebum, & Gorgiam. Vixit autor & Philoſophiam Ariſtotelicam profeſſus eſt Alexandriæ, ipſe Thebis Ægyptiis natus, magiſter Procli, ſub Theodoſio juniore. Commentariorum horum tanquam in Bibliothecis Bonon. & Venet. latitantium meminit Simlerus. Fuit etiam inter ποιητὰς h. e. profeſſores artis Chymicæ ſeu χρυσοποιΐας: quo de vide Varias meas l. 2. c. 5. & l. 1. c. 2. Hiſtoriarum ejus libros legit & excerpſit Photius Cod. 80. In ejus comm. in Gorgiam eſt ad medicinam pertinens locus iſte, f. 95. ὥσπερ γὰρ ὁ ἰατρὸς ἔχει τοὺς ὑπηρετοῦντας αὐτῷ οἷον καπήλους διὰ καλὸν οἶνον. καὶ αἰγειοπράτας διὰ τὸ κελεύειν θάλπεσθαι τὸ σῶμα. καὶ πημενταρίους. ὡσαύτως καὶ ὁ γυμναστὴς ἔχει ὀψοπιοὺς καὶ τοὺς τοιούτους. Κάπηλοι & πημεντάριοι noti ſunt: αἰγειοπράται non item: & fortaſse nullibi præterea eos reperias. Sunt autem qui caprinas ovillasvé pelles divendunt, quibus corpora ægrorum involvere veteres ſolebant medici diverſis intentionibus; maximè ad rarefaciendum apertis adplicatione vel etiam injectione recens detractarum & calentium poris halitum & tranſpi-

rationem promovendam, vel ad trahendum æqualiter ex profundo & ex habitu noxium. Vidi in Italiâ qui præcipitatum ex altô cæmentarium & concusso corpore luxatum universaliter vituli anniculi corio calenti, insueret, adhibitâ simul embrochâ olei calentis, non sine insigni fructu; vulgus nostrate talem ἐγχείρησιν sive θεραπείαν derideret. Αἰγειοπράτας hosce primùm ex me audis, mi carissime NESTERE; frustrà excuteres Lexicos de interpretamento.

VI. Cl. Ptolomæi de Musica seu Αρμονικῶν libri tres: Eos Latinè vertit & edidit Venetiis Anton. Herm. Gogava Graviensis. Græcè nondum editi sunt: in eos commentatus est Porphyrius. Sequitur scriptum ἀδέσποτον de re militari; ego verò deprehendi esse Æliani Tactica; quæ olim Latina fecit Theod. Gaza: edidit Græcè & Latinè Fr. Robortellus an. 1552. Venetiis: & novissimè Sixtus Arcerius cum annotationibus Lugd. Batav. 1613. in 4to. In tuo isto codice sub finem fragmentum additur de παραλλάξει τετραπλεύρῳ, quod in edit. Arceriana non comparet. De reliquis in eo volumine egi nuper ad Præfectum vestratem.

VII. In Ptolomæi quadripartitæ constructionis seu de Judiciis Astrologicis libros 4. Commentarius anonymi cujusdam: Simlerus Porphyrio tribuit: Ejus libros duos priores vertit aliquando Camerarius. Porphyrii Isagoge in Apotelesmaticen Ptolemæi: de hac jampridem tradidit Simlerus, extare Venetiis manuscriptam.

VIII. Jamblichi Chalcidensis liber de vita Pythagoræ: adhortatorius ad philosophiam: de communi scientiâ Mathematica: de Nicomachi Arithmetices Isagoge. Priores duos Græcè & Latinè habemus publicatos ab Arcerio cum notis apud Commelinos in 4to. Tertii & quarti meminit Simlerus velut ineditorum. Nicomachi Geraseni Arithmetices meminit Photius, cod. 187. In eam etiam commentati sunt Heronas, & Proclus: Meurs. not. ad Nicom. ἁρμονικά.

IX. Abammonis ad epistolam Porphyri ad Anebô ἱερογραμματέα Αἰγύπτιον scriptam responsio: hanc Broclus Jamblicho autori tribuit; quò referendum est, quod etiam Jamblichi nomen, præter Abammonis in codice tuo præfixum est. Simlerus etiam inter Jambl. opera eam recenset. Epistola autem Porphyrii ad Anebô quid continuerit disces ex Eusebio qui l. 3. præp. Evang. c. 4. & l. 5. c. 9. & 10. ex ea aliquam multa de Ægyptiorum Theologia adducit.

X. Vita

X. Vita Plotini Philosophi & index librorum ejus autore Porphyrio: in Italia Græcè impressa esse dicit Simlerus. Plotini philosophica opera librorum LIV. in Enneadas VI. distributa: Latinè versa sunt & edita à Mars. Ficino.

XI. Scholia in Dionysi Areopagitæ librum, de cœlesti hierarchia, de Eccl. hierarchia, de divinis nominibus, de mystica Theologia: in Epistolas 4. ad Cajum, ad Dorotheum, ad Polycarpum, ad Demophilum, ad Titum, ad Johannem Theologum. Ista Scholia videntur esse G. Pachymerii; scripsiq; ea de re nonnulla ad vestratem Præfectum.

XII. Sexti Sceptici seu Pyrrhonii contrà omnium disciplinarum Professores libri X. Latinè eos vertit Gentianus Hervetus: ed. Paris. an. 1569. in fol. Sunt in eodem volumine capita quædam de bono & malo; de pulcro & turpi: de justo & injusto: de veritate & mendacio, quæ eidem Sexto adscribuntur, Doricâ Dialecto descripta.

Orphei Argonautica, quorum initium, versuum 60. circiter, pariter mihi communicasti, non sunt illius vetusti vatis Thracici. Sed Crotoniatæ, Poëtæ heroici: cujus meminit Suidas. Græcè ea edidit Aldus Venet. an. 1517. Cum Latinâ interpretatione eodem carminis genere Cratander Basil. an. 1523. Versus ἀλλὰ γὰρ σοὶ καταλέξω, cum sequentibus duobus quasi Thracicus, Eurydices maritus ea diceret, præ se ferunt; sed certè simulat ista Poëta, ut sua sub Thracici celeberrimo nomine extrudat, & Thracicum inducit loquentem, cum ipse sit longè alius, & recentior Orpheus. Tantum de tuis codicibus.

Visam, ni vis major prohibuerit, hisce diebus ad pastorem quendam in vicinia vestra, qui consilium meum rogat; eâ occasione fortasse fiet ut conveniamus: recipies tum Catalogum bibliothecæ tuæ. Benè Vale & Salve.

Altenburg. 22. Jun.
an. 1642.

Tuus omni fide

Reinesius D.

EPISTOLA XI.

Mi clarissime Dn. D. NESTERE.

TO λίαν ἀκριβὲς λυπηρὸν, inquit Aristoteles, & vel mel saturis insuave est. De quæsito igitur inter nos modò pax. Ego facilè dissensum tuum ferre possum, & sustineo eum pacatissimè salvâ amicitiâ, cujus ne tantillum mutabo ego, etiamsi acriùs impudentiusq; mihi contradixisses. Tertiánam continuam sexto jugulasse οὐδὲ ἑρμῆ λέγοντι credet medicorum quisquam; quare non est ut hoc agas contentiosiùs; malignitas eaq; non levis, pestilenti dispositioni proxima, fecit. Si fauces ægroti, quas inter oris distorsiones observabamus gulæ caminariæ similes, & modum deglutitionis, & loquelam intercisam considerasses attentiùs, de summa earum aviditate ex inflammatione partium spiritalium & circa œsophagum, quod febris malignæ symptoma est, & τῆς ἐγκεφαλονόσου proprium, subiisset suspicio. Et cui fini bezoardica, quæ dicebas, adhibuisti, si malignitatis nihil suberat? Cur insigniter adeò calida, si causum esse sciebas? Sentin' igitur te nunc quidem ἐν σκότῳ ῥέμβεσθαι, & πρωκτὸν τοῦ λουτροῦ περιγίνεσθαι, podicem superare lotionem seu lavacrum, ut est in proverbio, h. e. causam non bonam patrocinio fieri deteriorem. De eo, quòd medicamenta apud vulgus infamentur, si adhibeantur deploratis, multa dicebam ex intima philosophia: scil. Christianos medicos non vulgo sed conscientiæ satisfacere debere; & quando cum notabili periculo incertus tamen metus est & incerta desperatio, non de errore ægrotum, sed præmisso prognostico, tentare naturam & moliri aliquid, quo ægrotum se non esse læsuros sciant. Etiam cum omnia ex arte egerint medici, à vulgi tamen importuna loquacitate non sunt immunes; unde colligere potes conscientiam ipsis solam sufficere ad veram animi tranquillitatem, & vulgus nullo modo esse attendendum; hujus enim judicium, varium, instabile, corruptum; ideoq; nauci & futile & quod sapiens non æstimet pluris quàm canum latratus Luna. Præstat sanè cunctatorem esse & cautum in tractandis morbis; sed in acutis tamen quævis procrastinatio noxia est, & in re difficili perplexâq; ubi animo præsente & facto opus est, timiditas intempestiva. Δειλὸς ἀνὴρ οὐ στήσει τρόπαιον. Τοιοῦτόν τὸ ἐμὸν φρόνημα. à quo porrò dissentire, mi carissime NESTERE, tibi placuerit, neq; mirabor neq; indignabor; nolim enim tibi præjudicare cujusq; autoritatem, multò minus meam, quam sentio esse perexiguam; hoc agam potiùs ut me ex animo TIBI favere, &

com-

commodis honoribusq; tuis actiones, consilia & omnem cum facultate omni voluntatem meam adcommodaturum esse quovis tempore intelligere possis. Optimè Valè & salve.

à TIBI deditissimo

Altenb. 24. Jun.
An. 1642. REINESIO D.

EPISTOLA XII.

Mi CLARISSIME NESTERE.

ETsi in promittendo parcus fortasse TIBI videar; sum tamen in præstando, ut vides, copiosus. Accipis enim latore eô, quem volebas, quindecim ducatos solidos legitimi ponderis, & liberum me nexu isto, quo me TIBI indueram, pronunciabis posthac. Addidi medullam destill. Cunradi in 4to, & fasciculum, in quo Variæ meæ & alia, quem cum officiosa à me salutatione Rationali vel susceptori ambactiano, cujus nomen in frontispicio eram consignaturus si habuissem notum, bonâ fide tradi curabis. Cæterorum gratiam mihi facies; Symmachi enim epistolas quidam Advocatorum nostratium D. Casp. Nachtenhofer commodatò sibi dari hesterno manè postulavit; Fallopii verò opusculorum editionem, quæ Veneta est An. 1566. conferre prius volo cum editione Op. ejus omnium Franc. Codicem transtulero, habebis fortasse Venetam istam. Oeconomiæ Hippocraticæ, autore Fœsio, Codice alterutro, (est enim mihi geminus) si voles, carere potero: est, si quisquam, studiosis medicinæ Hipp. utilissimus, & in omnibus Bibl. medicis spectandus liber. Cæterùm liberalibus jocis, quibus apud VOS animus impensè mihi laxatus fuit, & suavissimè hilaritati successerunt, uti prædicebam, alia omnia: usq; adeò ἤδει τὸ λυπηρὸν ἄγχι παρίςαλαι ἔκλινος ἄϊσης, reperi enim turbata multa & ægrotos præter expectationem; maturè tamen & velut è machina histrionicus aliquis DEUS, adveni. Wildvogelio isti è multis millibus uni

Ἰῶ φίλῳ Ἀπόλλωνι καὶ ἐ χαρίτεσσιν ἀπεχθεῖ,

benè sit pro honorifico amplexu, dulcissimâ conversatione, & splendidâ ἑςιάσει; quid autem rependam? Immoriar æri isti necesse est, nisi crediti tabulas aboleverit ipse. Ad ἀγγειοπράτας quædam dicebam de usu pellium ovinarum νεοδάρλων; adde in eam rem quod habet Oribasius l.7. Synops. c. 14. sugilla-

ſugillatis eas adhibitas unico die perſanare & abolere vibices ſeu ὑπωπιασμοὺς flagellatorum baculatorumvé. Inter gloſſas ſeu verba inuſitatiora Græca, quæ à Lexicis fruſtrà requiretis, referte & iſta: τραχηλάγχη, pro numella, γλοιῷ, boja, ſive ligno ferrové collum conſtringente: extat apud Evnap. in vita maximi. Matth. Paris. in hiſt. Anſl. in re ſimili utitur vocabulo, *Pœna colliſtrigialis*. Formarem inde colliſtrigium, i. e. Τραχηλάγχη. Καραπάραι, i. e. κεφαλοτόμοι, ἀποκεφαλισταὶ: ita vocati ſunt è Thraciæ populis aliqui, quòd ſolerent hoſtibus captis capita amputare: derivem ἀπὸ τοῦ αἴρειν τὰς κάρας: Alii ex iisdem ἀποσκελισταὶ adpellati ſunt quod crura hominibus præcidere ſolerent. Sunt iſta, apud Strabonem l. XI. ſed alteros Σαραπάρας, alteros περισκελίστας vocat. Utrumq; nomen ego depravatum eſſe puto, & legendum uti dixi cap. 6. l. 3. Variar. p. 457. Similia de ἀποσκυθισταῖς apud Perſas invenietis. Ἰατρομαῖα i. e. fœmina quæ cum arte obſtetricia medicinam etiam exercet. Lapis Romanus apud Grut. Inſcr. f. 1110. D. M. VALERIÆ. BERECUNDAE. JATROMEAE. REGIONIS. SUAE. PRIMAE. QV. V. ANN. XXXIII. &c. Cujaſius in Baſilicis ad l. pen. C. de poſtum. heredibus, reperit ἰάτραινα; quæ formatio ſcil. à maſculino ἰατὴρ ſatis legitima eſt; ſed vocabulum non includit ſimul obſtetricatum, ut prius illud. MEA pro MAEA, μαῖα eſt in ſaxo Mediolanenſi i. b. f. 1042. AURELIA. VIRGINIA. MEA. quam obſtetricem expono. Ἀφιλήκοος ſeu ἀφιλήκοος pro eo qui non delectatur auditione alicujus rei, extat apud Julianum miſopogone p. 91. Adderem alia, niſi chartâ excluderer. Tu mi cariſſime NESTERE Vale & me ama. Altenb. 6. Jul. an. 1642.

Studioſiſſ. Tui

Reineſius D.

EPISTOLA XIII.

CLARISSIME NESTERE.

NE putes me fallere cum αἰγειοπράτας apud Olympiodorum expoſui venditores caprinarum pellium; hos enim ſignificari inſinuant ſequentia in ῥήσει iſta: διὰ τὸ κελεύειν θάλπεσθαι τὸ σῶμα: ad fomenta autem corporum expetuntur pelles. Ipſarum autem caprarum negotiatores, quos tu hâc voce denotari rebaris, αἰγοπράται adpellarentur: non

αἰγειο-

αἰγειοπράται. Αἴγεια, ἐλλειπτικῶς, ſubintellecto ſubſtantivo dicitur à Græcis, tàm carnes, quàm pelles caprillæ; ut à Latinis itidem per ellipſin, ovillæ, bubulæ, ſuillæ, ſcil. carnes: leonina, vulpina, ſcil. pellis. Ἀρπεδονάπται Ægyptiorum Philoſophorum genus, ita dicti fuêre, ἀπὸ τῆς ἀρπεδόνος: ἀρπεδαὸν autem & ἀρπεδόνη, funis: erant nim. Geometræ & à funiculis, quibus ad dimetienda plana utebantur, ita denominabantur. Studium ſanè Geometriæ maximè viguiſſe in Ægypto, colligas inde quod Pythagoram, Democritum, & Evdoxum ejus diſcendæ gratiâ in Ægypto peregrinatos fuiſſe & verſatos cum ſacerdotibus adnotârit Laërtius. Summè etiam neceſſaria fuit Ægyptiis Geometriæ cultura ideò quod annuatim ab eluvionibus Nili dominiorum limites confunderentur; ſi quæ igitur inter vicinos de limitibus orirentur lites, eæ ab harpedonaptis, tributo cuiq; per funiculos artificiosâ dimenſione, ſuo componebantur. Democritus de ſeipſo apud Clem. Alex. l. 1. Strom. ἐγὼ γὰρ τῶν κατ' ἐμαυτὸν ἀνθρώπων, γῆν πλείστην ἐπεπλανησάμην ἱστορέων τὰ μήκιστα. καὶ ἀέρας τε καὶ γέας πλείστας εἶδον. καὶ λογιῶν ἀνθρώπων πλεῖστον ἐσήκουσα. καὶ γραμμέων συνθέσιος μετ' ἀποδείξιος οὐδείς κώ με παρήλλαξε. οὐδ' οἱ Αἰγυπτίων καλεόμενοι Ἀρπεδονάπται. Eadem Democriti de ſuis peregrinationibus ita jactanter ſcribentis citat Euſeb. l. X. Præpar. Evang. c. 2. & inde O. Heurnius de philoſ. barb. antiq. p. 54. De librorum inter nos permutatione videro, cum aliquando convenerimus: non recordor enim nunc quos è tuis velle poſſidere debeam. Benè Vale, mi Optime NESTERE, & me ama. Scr. Altenburgo 6. Aug. 1642.

Tuus omni fide

Reineſius D.

EPISTOLA XIV.

Mi Cariſſime J. M. NESTERE.

Expectationem de ſtudiis tuis in libertate Academica noſtram abundè cognoſcere potuiſti; quam ut ſuſtinere valeas, unicè ardenterq; laborandum TIBI eſſe putato. Hoc verò ut poſſis, pietate inprimis & modeſtia (humilibus enim Deus dat gratiam, & nihil juventuti pernicioſius vanâ perſuaſione ſcientiæ) conſequêris. Iis virtutibus ſi ἀγχίνοιαν & diligentiam mediocrē junxeris, quin voti tuo tuorumq; compos reddere & aliquan-

do Reip. prodesse possis neutiquam dubita; Erit quoq; solidæ eruditioni, virtuti non fucatæ & morum honestati suus honos, & præmia constabunt meritis; qua spe si vixeris, simulq; opus vocationis strenuè urseris, omnes studiorum difficultates facilimè superabis. Sed hæc talia à parente tuo & præceptoribus, quibus intimiùs nota tua sunt, suggerentur pleniùs explicatiùsq;. Cl. Dn. D. CUNDISIO pro amica compellatione gratias ago maximas; amplector etiam benevolentissimum in Me adfectum; redhostiamq; quacunq; potuero, promptissimè; Eum meo nomine peramanter saluta & de recens adita Sparta gratulare; quam ut exornet felicissimè, inq; eâ omnia κτ γνώμην experiatur, animitùs precor. In Disput. ejus placuit quod legi th. 32. de Cameronis observatione ex Heinsl Exercitationibus sacris ventilata. Nôrit autem etiam D. Höpnerum p. m. quòd è familiari ejus quodam ante annos benè multos, antequam Cameronis myrothecium ederetur, intellexi, in eadem fuisse sententia, aliterq; distinxisse verba Paulina quàm hodiè ea legimus: item A. Scultetum observat. in 1. ad Tim. c. 18. Hoc saltem simul adnotari oportuit, quod autor ἰδιογνωσείδιον istud non obtrudat Ecclesiæ tanquam authenticum, sed receptam quoq; lectionem defendi posse largiatur; quam modestiam ponamus in laude potiùs, quàm de benè cogitatis viri docti sentiamus iniquiùs. Sunt sanè circà distinctiones in codice Novi Testamenti nondum omnia adeò liquida. Ego vel ideò non adeò improbarem, quod sic voluerunt isti à me nominati, quod hoc modo molestissimis Pontificiorum de Ecclesiæ suprà Scripturam autoritate coccysmis defungi possimus. HEINSIUM, ita meretur, magnifacio; sed hominem esse memini tamen; & sunt in mundo SALMASI ceræ miniatulæ quas exercitationibus ejus subinde adpingit. In ejus ipsius loci Paulini expositione, quàm multi adhuc scrupi? Sed quò delabor? Tu, mi carissime NESTERE,

ἄλκιμος ἔσσ' ἵνα τις τῶν ὀψιγόνων σ' αἰνέσῃ.

Scr. ὡς τάχιστα Altenburgo Misnica 13. Octob. an. 1643.

Tuus omni fide & adfectu

Reinesius D.

EPI-

EPISTOLA XV.

Mi CLARISSIME NESTERE.

OBstupui lectis ad me tuis, simulq; indolui querelis quas prolixas defers; id autem ægerrimè fero, me corrigere non posse, ut maximè velim, quod molestum TIBI accidit ab Eo, quem putabam sincerè amicum TIBI. Quid facias? cedendum est tempori, & firmandus eô unô animus quod careas culpâ (hoc enim maximum in adversis solatium) neq; feceris quò minus amicitia staret inter Vos diutiùs. Ambulant voluntates hominum & favores, non valdè consistunt. Consilium quod de mutatione cepisti interim, non adeò probem, hoc præsertim iniquissimo tempore & statu rerum tuarum, putemq; pressiùs deliberandum esse; Differ, habent parvæ commoda magna moræ: & patronos quærendos ubiubi possis. In Frisiis non parùm præsidii repositum TIBI esse reor: tentare etiam poteris si quos Lipsiæ habes addictos TIBI; est enim ita, uti scribis; pleriq; omnes empirici sunt ibi & impudentes è furnis Chymicis jactatores, si unum alterumq; excipias. Si de Chemnicensium voluntate certus esse posses, non dissuaderem vel mediocri stipendio istis TE operam tuam addicere: sunt enim & humaniores Rochlicensibus, & in re lautiore, ut sileam reliqua: habiturusq; esses in tanta vicinia nihilominus vestrates obnoxios. Quicquid sit hujus negotii cave præcipites, motus offensâ aliquâ leviculâ & fortasse facilè sanabili: Cortice depositô mollis echinus erit. Scis πανδαμάτωρ ὁ χρόνος. FILII nomine gratias TE mihi agere superfluit; Ipse pro exiguo beneficio egit satis magnas, & mihi luculenter satisfecit: nolimq; rem parvam extolli, & prædicari in plateis, quod in angulo ἐν ἁπλότητι καρδίας (hanc enim in liberalitate nostra requirit Apostolus) gestum esse volui, datumq;. Dedi spontè, libenter, gratis, hilariter, sine ullâ ostentatione. DEUS benedicat & benignitatem meam nominis sui gloriæ inservire largiatur. Tantillum respondere hac vice potui, mi carissime NESTERE. Tu candidè interpretaberis & me quacunq; potero studere commodis tuis seriò tibi persuadebis. Opt. V. & S.

Altenb. 28. Octobr.
an. 1643.

à cultore Nominis tui

Reinesio D.

EPISTOLA XVI.

Mi J. M. NESTERE.

PRolixum adfectum tuum vel tribus verbis declarasses, longè fecisses gratius. Argutum aliquod epigramma pluris apud me est, quàm Poësis Oratoria & longi super re exigua logi: ista Musarum Apollinis Pindi, & si quæ alia talia; item oberrationes eâdem chordâ ταυτοεπεῖς planè putent. Græca velim diligentius tractes; neq; te pudeat Grammaticos libros terere; nondum enim sine isto cortice natare posse agnosceris. Græculisationes autem in sermone Latino ubi suppetunt æquè significantia Latina, & nisi elegantia vel alia necessitas ita suadeat, devita. Video Vestratium cuidam mirè placere τὰ γνησίως Lutheranâ Universitate: & ducitur argumentis planè ἐλλιπανοῖς: & maleferiatorum παραληρήματα; sed rident ostentationem putidam docti prudentesq;: Tu ab ejusmodi nugis maturè disce abhorrere; disces à talibus, quæ olim cum rubore dediscenda erunt, si audias & imbibas. Emplastri Opodeltoch descriptiones extant apud diversos variæ; cum iis velim conferre eam, quam Rolfincc. Vobis promisit; de effectis ejus disserunt Libavius lib. singulari: Johan. Matth. Quæst. med. 29: Jac. Primirosius l. 3. de err. vulgi in med. c. 48: Sennert. Pr. l. 5. p. 4. c. 12. quid ultrà hos doceri hac de re possit, velim audire. Vocant etiam Unguentum B. Anselmi: Losel. de pod. p. 298: sed perperàm: curationes enim ejusmodi vulnerum quæ adflatu, admurmuratione, osculo, vel etiam nuda lintei adpositione factæ sunt & fiunt hodièq; ad Anselmum Parmensem magum potiùs quàm ad Sanctum aliquem referuntur; Inde & qui hanc artem profitentur, Anselmadores ab Hispanis, J. R. Moxius præf. meth. med. morb. mul. per venæsect. adpellantur. Uti salutadores qui per superindictas preculas, & ensalmadores, qui per salivas & halitum eadem efficiunt. Similia feruntur sanationum dona habere ii quos Gentiles S. Catharinæ, aut S. Pauli appellant; item filii feriæ sextæ parasceves: de quibus Delr. Disquis. Mag. l. 1. c. 3. qu. 4. Pertinet ad eosdem familia quædam in urbe Lucâ Italiæ experimento contrà morsus canis rabidi clara; meminit Jos. de Aromatar. dissert. de rabie contag. parte 5. c. 3. Καὶ ταῦτα μὲν ταῦτα. Civis quidam meus Joh. Bruno, Theol. Stud. disputationem præsidente Dillero habuit de Conscientia: Eam inquire, si potes, & mitte, sunt quatuor quaterniones. Quin & si quas rarioris argumenti Theol. medicas, philologicas emiserint Vestrates.

Ut coëmere posses sine tuo intertrimento, accepisti nuper præter 12. Imperiales, tanquam hyperocham, XV. grossos. Tenta, quæso, bibliopolas vestros, si aliquot Variarum mearum exemplaribus alios libros permutare velint. Novi, & quotidiè experior, requiri eas è bibliopoliis, sed non reperiri. Cl. D. D. Cundisium velim meo nomine plurimum salutes. Benè Vale & S.

Altenb. 22. Dec.
an. 1643.

à studioso commodorum Tuorum

REINESIO D.

EPISTOLA XVII.

Mi carissime J. M. NESTERE.

DE emplastro Opodeltoch seu Stictico, quod vocant, cum scriberes, ego aliud quasi agens ob affinitatem negotii de unguento Sympathetico cogitavi: ineptus autem sit qui existimet non differre. Satis nota sunt ambo: de unguento verò quod addebam ab Anselmo quodam etiam agnominari; id verò rarum est, quare notabis. Hospitem tuum meis verbis peramanter salutabis, & gratulaberis novos honores magistratûs, quem initurus est; expectavi hactenus ejus literas; sed fortasse non erat ipsi, quod scriberet: quare excuso silentium. Parenti tuo non succedit negotium quod Chemnitii quæsiverat: ita intelligo è literis quas ad me dedit herè: tum pharmacopolæ alias, quas suis adjunxerat. Ego suasi aliquando ut maneret in statione, etiamsi viderentur nonnulla aspera subeunda & devorandæ injuriæ: Id etiam nunc faciam cum ipsi respondero. Benè V. & S. à

Altenb. XI. Januar.
an. 1644.

Tuo

REINESIO D.

EPISTOLA XVIII.

Mi cariſſime J. M. NESTERE.

GRatiſſimum mihi accidit domum ex itinere difficili reverſo, & ſalutato muſæo meo reperire tuas cum mantiſſa περὶ χολῆς: de qua quid ſentiam, fortaſſe ad Cl. Dn. D. Mœbium, quem meis verbis & quidem accuratè reverenterq; ſalutabis, perſcribam pleniùs. Mallem autem audiſſe quomodo ejusmodi paradoxa de uſibus bilis apud Vos defenderentur; miror doceri. Scio ex unico Nemeſio plerosq; uſus iſtos adferri ab anatomicis, à Bauhino & Riolano inprimis; ſed ejus ego Philoſophi & ſacri hominis autoritati in arte medica non tribuendum eſſe tantum exiſtimo, ut veterum anatomicorum & medicorum ſententiis & placitis præferre eam velimus. Quid enim è lacunis & ſcriptis ἀνατρολογήτων dogmata medica petam, cum fontes ipſi ſuppetant? Stabo potius cum naturæ genio, admirabili Ariſtotele, qui nos noxam bilis, & maleficium docuit, 4. de part. an. c. 2. cauſſam βιαίων παθῶν eſſe dixit; & abuti quidem naturam excrementis ſuis εἰς τὸ ὠφέλιμον, ſed non propterea adfirmari debere omnia alicujus alterius gratiâ eſſe. Nullus uſus excrementi, nullus finis in corpore, niſi excerni: excretum jam proderit fortaſsè variè; ſed de utilitate non quæritur, verùm de officio: Vos autem iſta confunditis, & cum nihil operetur extus & in alio, uti intus, & in ſuo corpore, ſeu cujus pars quodammodo eſt, nemo Vobis concedet, propterea quia excrementa animalium variis adfectibus utiliter adhibentur, etiam bilem, quà adhuc pars corporis vivi eſt, tales quosdam effectus in ipſo corpore edere: Adverſatur morbo cum exhibetur legitimè quodvis excrementum, etiam ſtrigmenta cutis, ſudores, ſaliva, menſtrua, blenna, ſulphur occidentale ſeu carbon, & reliqua obſcœna; ſed dum in corpore reſtitat, partibus ejus nobilioribus & actionibus infeſtum eſt; & morbos potius facere quàm curare aut præcavere aptum natum. Deinde uni bili tribui iſtæ operationes non debent, neq; ab ejusmodi effectibus ab excreto manantibus argumentum Vobis naſci potuit ad uſum nondum excreti ſed adhuc concluſi in corpore & animâ vegetante totius informati, quia in excrementis alvinis præter bilem etiam aliæ ſubſtantiæ ſunt, pituitoſæ, viſcoſæ, ſalinæ, terreſtres ſeu bolares; quibus ſuas quoq; eſſe partes vel inde adparet, quòd excrementis pro ciborum, à quibus reſidua ſunt, diverſitate diverſa effecta adſignari à medicis compertum eſt. Hepar calefacere contactu adflatuq; fel, quippe proxi-

mum,

mum, nemo neget, & juvare digestionem secundam, sicut juvatur accensio ignis sub vase decoctio rei contentæ in eo, ut loquitur Nicolus Flor. tr. 6. serm. 5. c. 1. fel habet calefacere epar, ut confortetur ejus digestio, Carpus Comm. in anat. Mundi c. 12. idemq; fortassis facere si in ventriculo aliquid ejus chylo interveniat; (fortassis, scripsi: acido enim humori, pituitæ tenui potiùs quàm bili adsimilando, qui ventriculo congenitus, spiritibus præditus incisoriis, subtilis chylificationis administer, illa receptorum in ventriculum diversissimorum & elixandorum pervasio, subactio, lævigatio & fermentatio, quin etiam ipse appetitûs vigor, adscribi debet: qua de re eruditè disserit Höchsteterus in scholiis observ. med. decad. 5. cas. 1. 2. & 9.) sed quomodo calorem toti corpori largiatur humor, quem vesica fellea concluditis, cujus etiam in corpore quod ejus plurimum collegit vix paucæ drachmæ stabulari reperiuntur, (de hoc enim solùm loquimini, hoc solum nominatis: de eo autem qui in venis cum sanguinea massa circulatur ne mu quidem?) neq; intelligo ego, uti hebes sum, neq; fortassè Vos me docere poteritis: Qui enim succus alere corpus non potest, id nec calefaciet; bilem verò vel cysti sua inclusam vel per biliarios poros intestinis illabentem quam partem alere probabitis? nec ergò calefaciet aliquam, scil. ad perfectionem & sanitatem; calor autem acer, mordax, squalidus, siccus, quem in bilosis & in statu sanitatis propterea digressis deprehendimus adversarius potius vitæ est, quàm ullius coctionis opifex, quod Vobis imaginamini: sed hic effectus sanguinis spiritu vitali impraegnati proprius est, cujus ἐγχυμώσει per excandescentiam procuratâ coloris fit reparatio, 2. epid. s. 4. & excitatio caloris; quæ ambo rationi humorum in venis respondent; ab iis qui vel sunt extrà vasa, vel in partium cavis, vel propriis conceptaculis continentur, non valdè adficiuntur, nisi postquam hi succreverint adeò ut viscerum tonos violare & halitibus suis tætris ipsam sanguinis massam inficere potuerint. Omnium autem absurdissimum est, quod de præservandis per bilem partibus & massa sanguinea à putredine statuitis. Sui prægeneri animam esse datam pro sale ne putresceret, Chrysippus ajebat, teste Cic. l. 5. de fin. & l. 2. de nat. D. vel Cleanthes, teste Clem. Al. l. 5. Strom. Vix me contineo quin exclamem, Vos homini bilem pro anima adsignare. Sunt qui dicant, fel præservare hepar à corruptione, inquit Nicolus l. d. Qui autem, quales, quanti? Vesalius subtile commentum adpellat: Vos subtiliores etiam istis innominatis, qui partibus corporis & massæ sanguineæ hoc à bile præstari docetis, non tantùm hepati; & hoc igitur ignobilissimo excremento, ut vocat Piccolom.

l. 2.

l. 2. prælect. 20. quod Medici & Philosophi alii facultatum vitali, calori δημιυργῷ insito & influenti, divino isti & astris analogo, tribuitis: quod absq; vitio & capitali errore (Vos talem Aristoteli & ejus discipulis omnibus imputatis non sine injuria) non fecisse animadvertetis, si intrà vos recollecti verum studiosiùs inquirere & videre volueritis: Sanè est cuiq; parti & humori suus inditus balsamus quo se, quamdiu rectè, temperatè, & naturaliter habet, contrà quamvis corruptionem vindicant; qui ipsis internus est & essentialis: Vos externum quendam, quasi custodem ostio canem catenarium adponeretis, & indignum adeò nobili provinciâ huic negotio præficitis bilem; hæccine igitur cor quoq; & cerebrum defendit à putredine? ubi verò vel ad cordis portas, vel ad cerebri consistit? quam in corde & cerebro amaritiem, de hac enim inprimis prolixè exemplificatis testem præsentiæ bilis, demonstratis? Etsi à putredine tuetur partes, quomodo in febribus putrescit ipsa? & putrescit interdum sola, aliis humoribus intactis, partibus etiam integris? Si enim partes & humores propter bilem non putrescunt, quod vos aitis, certè bilis multò minùs putrescet, cum id propter quod unumquodq; tale est, magis sit tale. Infinita sunt quæ in hanc rem dici poterant, si epistolæ modus pateretur: sufficit nunc fecisse ut Vobis de meo circà hoc problema dissensu constare posset: quem non eò rapietis, ut præjudicare Vobis velle opinemini (nolo enim hoc, nolo) sed ut de iis quæ ad artem pertinent sententiam dicendi potestatem mihi quoq; liberam esse memineritis. Tum autem excusatos Vos habebo, si ista exercendorum ingeniorum gratia & eliciendæ per sententiarum collisionem veritati, non seriò & pro sanæ medicinæ infallibili & necessario dogmate proposuistis. Te verò etiam atq; etiam hortor, ut in ejusmodi quæstiunculis physicis & anatomicis, quæ in Medicinæ Hipp. & Gal. fundamenta feliciter & firmiter satis jacta arietant, & ad praxin interdum ne tantillum faciunt parcè verseris, & delibes potiùs quasi transcurrendo & ἐπιλίγδην, non te immergas; fies enim ad magis necessaria & utiliora ineptior, si talibus nimiùm te dedideris & incontentiosum scrupulosumq; potiùs quàm in gratiosum & humanæ societati salutarem medicum evades. Ante omnia unum aliquem scriptorem ex omnibus Tibi selige, quem sequaris, eumq; lege multùm, non multa, quibus obruêris priùs quàm erudiêris. Probem autem si præter libellos Galeni Isagogicos & alios, quos Tibi nominabunt præceptores tui, Fernelium & Capovaccium, & Sennertum habeas quàm familiarissimos ad principia artis benè penitus imbibenda; studio Græcarum literarum sedulò invigila, cui negotio Hippocratis

pocratis oracula quàm maximè adcommodata ſunt, præter quod ipſa artis præcepta ſimul tradunt: Ea igitur ſi cum cura legeris, adhibitô ſubinde interpretum fideliorum & accuratiorum, qui quamplurimi ſunt, uno alterôve, & hæc & illas facillimè addiſces; quod ut feliciter Tibi ſuccedat, precor ex animo. De conatu iſto tuo omnia æqua cenſeo; niſi qui videtur προωρότερος & quàm pro viribus major: ſatis enim intelligo te iſtis minutiis capiendis, multò verò magis defendendis ab adverſario non ſufficere. Poteras aliud argumentum utilius Phyſiologicum excerpere præ iſto jejuno & nihilominus ſpinoſo, & in eo proprio Marte elaborando viriculas tuas experiri; interim pro honorifica iſta compellatione, quâ me dignari voluiſtis, unà cum Cl. Dn. D. Cundiſio Præſes tuus & Tu ipſe, ſummas ago Vobis gratias, & quî utriq; illorum meam obſervantiam & ſtudia, Tibi verò favorem meum adprobem, enixiſsimè curabo. In extremis ubi me allegas, Plinium debebas; vides enim me è Plinio adferre iſta; adeò quod alius eſt mihi tribui fero moleſtè. Repetit autem Plinius eandem ſententiam l. 20. c. 16. his verbis: Fimum aſinini pulli, quod primum edidit à partu, fabæ magnitudine, è vino medetur (regio morbo) intra diem tertium: quæ cum conſidero, incipio iſta, *Poleam Syri vocant*, habere pro gloſſemate. Injuſta querela veſtra eſt, excrementorum à medicis nullum factum eſſe in exercenda arte periculum, aut fieri hodièque; Vel ea quæ de Xenocrate Aphrodiſienſi, inprimis curioſo, inſuetis, odioſis & ſordidis materiarum generibus curante habet Galenus l. 10. de ſimpl. med. fac: & ego Var. l. 3. c. ult. p. 663. item quæ de viribus ſtercorum diverſi generis idem l. d. Dioſcor. l. 2. c. 73. Oribaſ. l. 2. de virt. ſimpl. l. 15. Collectan. c. 2. 14. c. 57: Aetius tetrab. 1. ſ. 2. c. 109. & ſeqq. Paulus l. 7. c. 3. inprimis quæ Plinius vel ſexcentis in locis, & quæ noviſſimè Dan. Beckerus Dantiſc. in Spagir. microc. c. 10. fidem luculentam faciunt, non neglectam ab iis hanc partem fuiſſe, etiam qui de Bile idem ſentirent quod Ariſtoteles: Frigidum etiam planè eſt quod ſanguini & ſpiritibus in ſtatu ſuo motorem quendam, tanquam orbibus Intelligentias, conſtituitis bilem: an dememiniſtis ſpiritus eſſe τὰ ἐνορμῶντα & eſſentias mobiles ſuapte natura? quas ab humore qui corpus eſt, eòq; tardior, incitari ad ea, ad quæ feruntur αὐτομάτην, nemo ſanus ſibi perſuadet; & propterea neq; hoc veriſimile Democritum ideò ut motum ſanguinis & ſpirituum à bile ipſis conciliari ſolitum agnoſceret, bilis ſedem & naturam in animalibus inquiſiviſſe. Imò quid de motus ſpirituum & ſanguinis veſtigiis, quæ videre voluerit Democritus in animalibus jugulatis, mihi narratis fabulam? In-

ſpexit animalia ſecta ut bilis φύσιν καὶ θέσιν diſceret, & cauſas παρακοπῆς, quæ ab eâ oriretur, reddere poſſet; quod ut de flavâ bile intelligatur tantùm, nulla cogit ratio. Nam & de humore atro, cui non minus, fortè etiam frequentius, quàm bili veſtræ deliria adſcribuntur, quærere potuit Democritus, h. e. lienem & vicinas adfinesq; partes conſiderare, non ſolùm fellis veſicam. Tandem quia bilis veſtra etiam hoc largitur ſanguini ut tenuis fluxilisq; ſit, & undiquaq; ſe inſinuare poſſit & promtè in venas trajici, ſequitur ſerum quid adeſſe ſanguini & ſenſus & ratio, & communis conſenſus hactenus conſtituit, & quod neq; Vos negaturos eſſe exiſtimo, nulli uſui eſſe, hoc autem dicere temerarium. Ergò adfirmandum potius illud, ſanguini fluxilitatem non à bile contingere ſed à ſero. Sed nunc ſatis horum; inſtat etiam flagitator tabellarius. Tu benè Vale, & ſemper cogita, nullius rei graviorem eſſe jacturam quàm temporis; perdes autem quicquid ejus malè inſumſeris. Feſtinâ manu Altenb. 3. Febr. an. 1644.

Tuus

REINESIUS D.

EPISTOLA XIX.

Mi J. M. NESTERE.

RESponſionem ad meas, quibus judicium meum de placitis veſtris ſuper naturâ bilis expoſui, abs Te nullam expecto: perdes enim eâ operâ bonas horas, & mihi faſtidium creabis: Diſcas, moneo, remex eſſe priùs quàm gubernaculo manum admoveas: Quin potius lege & relege meas ſæpiùs, & exquire ſi de quo dubitas è Præceptoribus tuis, & meditare cum curâ ut ad veritatis, quantum ad hanc doctrinam pertinet, poſſeſſionem tandem pervenire poſſis. Quòd te propediem Jenæ valedicturum eſſe ſcribis, non intelligo; Ego verò te eam vix adiiſſe rebar. Cauſſaris ſumtuum defectum? Ea verò una res ante Vobis penſitanda fuit, & niſi fallor de ſumtibus, & unde habituri ſitis diſpiceritis prius, hoc præſertim bellicoſo tempore, & parentem & Te monui; aliud conſilium quod dem neq; nunc habeo: an fallit, quod è D. Cundiſio intelligebam te nobilis cujusdam quadrâ vivere? De parente tuo malè meritus es, quod cum in enumeratione dignitatum ejus, quibus equidem non invideo, Com. Palat.

Palat. Cæſ. (ita enim omnes interpretantur tuas Co. P. Cæſ. qui literas norunt) nominaſti: quam appellationem iſte, uti vir eſt ſine fuco & faſtu, bonus nunquam adfectavit, & nolet figmento tuo ita præter meritum extolli; Si Poëtam L. Cæſ. volebas adpellare, cur non vulgari ſcribendi modo P. L. C. utebare: an hic tibi ſordebat? Ego ejusmodi veteratoriam irrideo; frigidam verò ambitionem, captandi è poſitu literarum neſcio quas eminentias, tuam ex animo deteſtor; teq; ut ejusmodi abſtineas hortor; ad modeſtiam autem, quam ſemper Tibi commendavi, unicè dux & autor tibi ſum: Nolim etiam Te quovis modo ineptiam iſtam colorare vel excuſare apud me; pellucet enim quo animo id feceris. Neq; hoc probo, vel probabit quisquam prudens, quod parenti me prælocaveris: quorſum iſta adulatio & palpus? quo genere me non capies, ſed à Te avertes: an neſciebas quantum parenti deberes præ extraneo? Nihil dignitatis mihi accedit tuis laudationibus, ſed honores meos deteris potiùs & devenuſtas, dum ineptè me honoras μετὰ τοσαύτης φαυλασίας καὶ πέραν τοῦ προσήκοντος ἢ πρέποντος. A manu Dn. D. Mœbl accipies quatuordecim Joachimicos, quos meæ pro compellatione publicâ gratitudini imputabis. Diſputationem D. Rolfinckl primam etiam mitte, uti & clauſulam ſecundæ: deficit enim quaternio D. Cl. Dn. D. Cundiſio meo nomine plurimam nunciabis ſalutem, ejus toties promiſſas literas expecto; ſed fortaſse argumentum deeſt. Ecquis autem Volckius iſte, qui civem ſe meum profitetur, medicinæ & ipſe lyta. Memini ipſius nomine ſcholaſticum quendam exemplar Variarum mearum à me petere, & exhibui promtè, ſed iſte hactenus ne faſſus quidem fuit accepiſſe, quod non valdè civile eſt. CL. Sagittarl Prof. quondam Jenenſ. & præceptoris mei τοῦ μακαρίτου filium Pædagogeio apud Vos præeſſe audio; Eum à me ſalvere plurimùm jube, & vide ut inter amicos ab eo recipiare; eſt enim egregiè doctus & probatiſſimus moribus. Non intelligo, qui factum ut 12. Febr. acciperem tuas, quas ſeptimô exaraſſe te dicis. Etiam hîc aliquis fucus latet; ſed quem, ſi tanti videretur, conſiderem penetrare, B. V. & S. ὡς τάχιστα Altenburgi 14. Febr. an. 1644.

Tuus

Reineſius D.

EPISTOLA XX.

Salutem!

MIrè autem philoſopharis, mi clariſſime NESTERE, qui hominis nauci, erronis famoſi & infimi verſificis, ne nominandi quidem, gnome, quam laudas, in anguſtiis iſtis, in iſto animi tui æſtu & dividio te ſolaris; è ſacris myrotheciis longè graviora & certiora in hanc rem ſuppeterent, ſi Biblia, fontem divinæ ſapientiæ & medelarum conditorium ſeu penum ſcrutari malles: an tibi non ſuccurrebat Menander inter veteres Comicos ſapientiæ laude ſpectatiſſimus, quem pueris proponere ſolebant antiqui in ſcholis ob ſingulare παρδαγλάσεων artificium & prudentiſſimè jactas ſententias? Ejus hic eſt ſenarius, vel mille Zuberinis carminibus præferendus: κρύπτουσιν οἱ σοφοὶ τὰς οἰκείας βλάβας. Quare judicium hîc quidem in te deſiderem; candorem autem in eo quod nunc dicam: Suggeſſeram animo ſanè benevolentiſſimo Tibi quicquid demulcendis querelis & leniendo dolori facturum eſſe putaveram; & quæ ipſe in me ipſo, qui variè quoq; jactatus & fortaſse plura & atrociora perpeſſus fui, fueram expertus animum languentem erigere, ea liberaliter conſulendo, monendo, dehortando communicaveram: Tu verò tantùm non calcibus me impetis; *ſi tuo loco ſim aliter me ſenſurum*; quæ incogitanter effutita eſſe ipſe, ſi te recollegeris, deprehendes. Nihili igitur facis conſilium meum, quod optimo animo proferam; neq; admittis eorum, tanquam minùs commodè & velut abſurdè dictorum, quidquam? Inſimulas præterea me, quaſi aliud tibi dixiſſem, facturus aliud, ſi eodem, quo tu, fuero loco; quâ ſuſpicione tuâ nimiùm qua me prægravas & inſignitam mihi facis injuriam; qui nihil ferè majore odio proſequor, quàm ſimulationem, hypocriſin, & ſine re χρηστολογίας; cjuſmodi fuci nihil in me obſervare hactenus potuiſſe te certus ſum: quî ergò nunc de me dubitas, ſermonibus meis conſentire facta, & me quod ſuadeo alteri experturum in me ipſo, & ipſo demonſtraturum opere. Aliter nunquam ſentiam, mi NESTERE, quàm ſenſi; neq; faciam aliter, ſi uſus fuerat, quàm locutus ſum: oris & cordis conſenſum nunquam exuam niſi cum meipſum; id quod ſeriò me TIBI dicere exiſtima. Quæſtionem de hydrophobis ideò mihi moleſtam fuiſſe nôris, quod ad eam ipſe tibi reſpondere poſſes, ſi voluiſſes legere, quem legiſſe tamen videri vis, Salium, quis ſine tædio occupetur in frivolis? Lucernam tibi præferri poſtulabas meridie merô; quod nemo tibi ſine ſtomacho erat

præſtiturus. Dixi pro ſententia mea ſatis; quibus ſi quid eruditi habes quod opponas, libenter auditurus ſum. Libellos, quos petis, per iſta viarum intuta tibi transmittere nolui, poteris eos Lipſiâ tibi comparare; Salius enim & Joſe. de Aromatariis Francofurti excuſus eſt; hujus etiam Tractatus novem ſolùm quaternionum. Ἐγκυκλοπολεμίαν tuam exhorreſcunt omnes: ſoli Græcè docti irrident; (nolo tibi Grammaticos nominare, quos fortaſse eras contemturus) eſt enim frigidum planè, ἄχαρι καὶ ἀνώμαλον figmentum & monſtrum vocabuli, quod furcillis ejicient Muſæ Græcæ. Judicium meum de Diſp. ſuper natura Bilis Jenenſium perſcripſi ad filium tuum; à quo literas meas, ſi tanti videbuntur, repoſces. Nondum perſuaſerunt mihi νεωτερισμὸν ſuum, ſuccum bilioſum ſub forma ſanguinis in venis eundem eſſe cum excrementitio cui peculiare conceptaculum eſt. Unâ hac diſtinctione potuit tyronibus totum negotium tradi, nec opus erat iſtis logis, ne quid dicam acerbius. Filii autem tui propoſitum caſtigavi in aliis literis, quas ultimas ad ipſum dedi, cum de diſceſſu ſuo Jenâ ſubmuſſitaret: Eadem, quæ tibi diſplicere ſignificas, perſtrinxi εἰπὼν λευκότατα. Frugem non faciunt ejusmodi ventoſa ingenia; vellem quoq; me audiviſſet potiùs, qui ſemper ad modeſtiam ei hortator fui: verùm ipſe non vulgariter ſe ſapere cum ſummâ interim ineptiâ putat: δοκῶν μὲν εἶναι Βριάρεως. ἐςὶ δὲ λαγώς. Pro publica compellatione ſatisfeci ipſi per D. Mœbium: per D. Cundiſium etiam m. Nov. exeunte decem Joachimicos alteros cum aliqua ὑπεροχῇ miſeràm. Hæc Tibi, neſcius ne eſſes. Optimè Vale, mi NESTERE, & ſalve à

T.

Altenb. Cal. Mart. an. 1644. REINESIO D.

EPISTOLA XXI.

Mi Cariſſime J. M. NESTERE.


EXemplaria iconiſmi mei in ære accipis, uti rogabas, ea communicabis cum quibus voles; accipis ſimul pro hoſpite tuo duo commentatiunculæ de Deo Endovellico, & in uſus tuos ducatum numum unum. Dn. M. Gerhardo meo nomine agas gratias amiciſs. pro honorifica compellatione & miſſis diverſis meletemaſi. Pergratum mihi accidit, quòd memoriam

congressus nostri primi, cum in transitu ad ædes meas viseret, tàm religiosè cum conservasse intelligam; inde in ruborem aliquà datus sum nunc luculenta humanitatis meæ deprædicatione, quasi adventorem & salutantem non sim complexus prolixè & exceperim humanè satis & habuerim liberaliter, uti conveniebat. Certè non memini exhibitum ipsi tum à mea tenuitate quidquam, præterquam conspectum adfatumque; & properabat fortaisè, vel occupato mihi superveniebat, quò minus præstare possem quod eram facturus, si tulisset occasio, lubentissimè. Quare ut benignus caussam dandi solet excogitare; ita amans laudandi, & ad gratitudinem à natura formatus gratias agendi etiam cum nihil acceperit beneficii: fortaise, si speret accipere, in antecessum. Hoc velim sibi persuadeat, me ex animo ipsius studiis favere, neq; defuturum ejus commodis promovendis, eiq; ornando quacunq; occasione licuerit. Ἀλλὰ ταῦτα ἔσαι ἂν θεὸς ἐθέλῃ. Optimè Valete & Salvete

à studioso honorum commodorumq; vestrorum

Altenburgi 12. Mai
an. 1644.

REINESIO D.



EPISTOLA XXII.

Mi J. M. NESTERE.

PRæmissa honorificâ salutatione Hospiti tuo Dn. D. Cundisio velim significes, constitutum jam esse in aulâ nostrate de itinere versus arcem venatoriam in vicinia vestra, reditu Electoris Joh. Friderici b. m. è custodia Hispanica, nobilem, septimana instante, nisi vis major impediat, capessendo. Hoc quia nuper ex me quærebat, quid intereà resciverim, intimandum esse duxi. B. V. & S.

à

Altenb. 19. Jun.
an. 1644.

REINESIO D.

EPI-

EPISTOLA XXIII.

Salutem!

ITerum autem querelas, mi clarissime NESTERE? & querelas quibus mederi nequeat, præter TE, nemo; sunt enim de domesticis tuis, quæ nemo exactiùs & penitiùs novit, quàm TU-IPSE: querelas, quas si omiseris, h. e. si feras fortiter & æquô animô, quæ mutare posse nulla dum adparet occasio, non erit, quòd animum tuum ægrum angat ultrà, nunc huc nunc illuc dividat, & inturbulento-variorum desideriorum salo circumagat; liber eris cogitationum vanarum & cupiditatum, omnisq; æstus cum gravi sua molestia frustanei tamen, si tædium fortunæ, cum qua hactenus satis commodè, puto, vixisti, non obrepére Tibi permittas, si præsentia, qualiacunq; tandem sint, boni consulas: ad quam παρόντων στέρξιν & æquanimitatem TE etiam atq; etiam hortor. Patriæ nostræ dulcissimæ calamitas, & tumultûs illi publici prohibent de privatis esse μεμψιμοίρους: stamus cadimusq; cum publico: surgemus & jacebimus cum isto: nec quicquam conservabimus nostra, si, quod clementer avertat DEUS, publica pergamus porrò perdere: sanè instant tætriora, & urgent hosce ditiones fatorum suorum ultima; quæ pro ineffabili sua misericordia mitigare DOMINUS velit! non enim auferet; quia atrocissimè peccavimus & ad pœnam jam dudum fuimus damnati. Vix licet hodiè pedem efferre portâ: & tu de transferenda aliò familiâ cogitas, omni ad rem tantam necessario consilio auxilioq; destitutus; nescius etiam quò? Hic planè mirabilis ῥεμβασμὸς est & vertigo; quæ communem quoq; sensum tibi intervertit. Stultum est, timere, quod vitare non possis: quid dices, si quis captet incerta, & ne quidem leviter adparentia, procul posita, speiq; non alludentia, persequatur? Aves sectatur, ventos contrectat, & fumum amplectitur, quisquis de inconcessis & intra obscuritates futurorum contingentium latentibus longam spem inchoat. Fortassis de vicini pecoris grandiore ubere suspicaris? Error est: Nullibi impunè vivitur; ubiq; angustè habitatur & cum molestia: extra tela ictusq; ubinam consistere cuiquam datur? Ibi, ubi Sol trepidat; in excelsis istis despectabimus hæc humilia, vana, inquieta & infelicia; dum hîc sumus, semper rotamur & quotidiè experimur, de quo dolere possimus, si dolori laxemus fibulam. (cuiq; mortalium ubique satis est quod ferat: commodè ferendo facillimè lenies necessitatem, quæ vitari non potest, inquit Erasm. epist. l. 15 f. 503.) *In medio Tibure*

Sardinia

Sardinia eſt: an hîc, alibi, Furias non eſſe imaginaris? Sequuntur nos ut umbræ corpora; & profugos latentesq; inveniunt & flagellant. Malim ego, ſi quid tolerandum aſperi, inter notos & obnoxios tolerare, qui fortaſse magis condoleant & citiùs ſuccurrant, quàm ignotorum animos experiri, de quorum amicitia & officiis nihil dum ſpondere mihi poſſim. Iſtud igitur, melius tibi fore ſi ſis alibi, inter res nondum judicatas habeatur. Neſcis, divinæ de TE providentiæ clavus quomodo fixus ſit: ſcis, iſtò te vocavit, deduxit, poſuit; dum non avocaris, dum non moveris locô, & educeris eo ipſa comite, noli exire; ſed expecta ejus moras & horas, quæ non elabentur TE præterito, ad quem pertinent. Ego aliud conſilium neq; mihi reperire poſſe videor, quàm quod ſuggero TIBI: ſcil. lenire aſpera placidè ferendo. Quod ſi humanum eſſe cauſaberis, audi mihi divinum iſtud: *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.* Item antiquorum Sapientum hoc; *Maxima felicitas ſuâ quacunq; eſſe contentum*: in animo hujus ſemper ſerenum eſt, nihil tumultuatur intùs. Adſueſcendum ſuæ conditioni, & quàm minimùm de illa querendum: ſpes effrenatæ, & animus in futura eminens habendus velut ſub vinculis. Quare officiô amici ME ad TE functum eſſe hanc quidem partem fateberis, & objurgatiunculæ huic ſuſpenſæ ignoſces; ſi enim meritò facta eſt, agnoſces, quòd tibi ſic profuerim; ſin immeritò, ſcito tamen quòd prodeſſe voluerim: ſuper tali verò voluntate amici indignari non eſt Sapientis. Ad diſcurſum tuum de morbo commorſorum à rabidis, quo diſplicere tibi ſignificas, quòd eum ad anginam referre maluerim, & ἄνω καὶ κάτω ἐλίττειν, nunc non reſpondeo: dicturus enim eſſem, quæ audire nolles; Quare ſuadeo, ut Salium iterum iterumq; relegas; tum J. B. Codronchium, ut quid de morbo ſenſerint veteres, & recentiores ſentiant, planè cognoſcas; Confer etiam obſervationes modernorum; tum ad me redi, & congrediar, ſi provocaveris. Integer mihi commentarius ſcribendus eſſet, ſi dicere de hydrophobia debere omnia, & recoquenda ea, quæ ipſo tuo Marte, ſi autores bonos cum cura legas, adſequi poteras: quod genus ſcriptionis non quadrat epiſtolari colloquio. Malè accuſas veteres, quòd adpellârint ὑδροφοβίαν: adpellârunt ita à Symptomate, quod in λυσσοδήκτοις obſervabant; alii cùm alia notaſſent accidentia, aliter nominare potuerunt; idem nobis quoq; integrum eſt; non, abſurdum igitur, ſi vocemus anginam morbum, qui plurima, ſi non omnia cum angina habet communia, vita à nobis, etſi veteres non adtenderint: Hoc docere de poterit Joſ. de Aromatariis Aſſiſinas, qui ſingulari tractatu hoc unum egit, quod ego verbô ſolùm ſignifico. Et cur, quod tibi

tibi ſumis, mihi noles concedere? Vis ut in claſſem deliriorum referatur; & non omnes tamen λυσσοδήκτους delirare toties à tot fide-dignis viris & artificibus audis: Procedis igitur & ipſe à particulari. Experimentis particularibus & eventis, non ratiunculis frigidis, oſtendendum eſt, in rabie ſemper eſſe delirium; quæ cùm te deficiant, quid facies, quàm ut adfirmes haud gravatè, adfectum, de quo loquimur, non eſſe deliriis præcisè accenſendum, ſi eſſentialem definitionem quæramus. Id velim, accuratè notes, fruſtrà eſſe eos, qui morbis vel etiam rebus aliis talia nomina quærunt, quæ omnem earum naturam exhauriant; Valent vocabula uſu ut nummi, ἐκ συνθήκης, etſi interdum cum rebus, quas ſignificant, minimè conveniant. Pyxis voculam veteres ἀπὸ πύξου, à buxo formarunt, quòd vas tale à buxo tum fieret; poſteri eam retinuerunt, & vaſcula ex auro, argento, ære, ferro, cornu, & ligno quocunq; parata ita nominarunt, generale facientes, quod ſpecialiſſimum erat; & nemo calumniatur, tanquam facere non liceret. Idem noſtro negotio adplica, & eris æquior cum ſiniſtra cenſura tua, & veteribus, qui vocabula ὑδροφοβίας, ὑγροφοβίας, φευγυδρίας, φυβοδιψίας, excogitarunt, & nobis, qui non adverſantur: quos utrosq; vel non percipis, vel non percipere ſimulas, vel tuæ præconceptæ theſi malè adplicas. Metus ſtrangulationis tam à liquidorum aſſumtione, quàm extra hanc, non eſt vanus & à corrupta imaginatione, & *ſine evidente cauſa*, uti loqueris, ſed ab impedita realiter demiſſione eorundem in æſophagum, quæ reverà ægrotos adfligit, non adparenter, & delusâ phantaſiâ; reſiliunt enim liquida per nares, renitentibus etiam, & ſi per vim ingerantur, cruciant ægrotos; ubi nullam imaginationem fingere licet. Nondum igitur eviciſti, λυσσοδήκτους *omnes præter rationem agere*; iſta ſanè, de quibus locutus ſum, agunt & patiuntur ſcientes, & mente undiquaq; ſani & ſibi iſta accedere nollent; hinc colligas ſenſibus interioribus, & exterioribus magis valere iſtos ægrotos, quàm quod hæc eos non pati & fingere præſumunt, medicos. Quod autem vocabulum ὕδωρ, vinum & alia liquida omnia comprehendere negas, & anguſtius eſſe adſeris, hoc & Græci deridebunt, & Philoſophi caſtigabunt, qui aquam omnium talium, utpote aquæ adfinium & ex aqua Confectorum ſummum genus eſſe conſtituerunt. ὕδωρ eſt, quicquid termino ſuo nunquam, alieno difficulter, clauditur. Ne verò ſcias, ægrotus iſte J. ab E. non erat meus, ſed curabatur à Lipſienſibus: quod autem ego omnia maxima-minima ejus reſciverim, indicio cujusdam Noribergenſis, Medicinæ Studioſi, qui tum ſtudia ipſius liberorum moderabatur, & frequenter mecum erat, jam verò agit Altorfii, fa-

ctum est. Sed mentitum me esse deprehendo nunc; scripseram me nihil TIBI responsurum, & respondi tam multis; quæ quod meâ manu exarata non sunt, effusa protinus, & dictata potiùs non adcurata intelligas, & à distracto variè profecta. Satisfaciam tamen, si requisiveris, pleniùs: hoc unicum abs Te rogo, ne quæstiunculis, quas per te solvere poteras, me non tam lacessas, quàm bonas horas perdere cogas. Casum amici communis nostri deplorare Te mecum æquum est; (neq; enim tam eris barbarus, ut insultes & ἐπιχαιρεκακῇς: aliud meretur virtus ejus & cætera eximia.) Ego sanè totis diebus & noctibus in eum defixus sum, ac precibus ad DEUM Opt. Max. adjuvo, quem aliter non licet per istas violentias & insanias. In exemplum ista à DEO permissa sunt nobis, ut discamus nemini nostrum in potestate esse fortunam suam, & nulli fortunæ minus quàm optimæ credi debere. Omnis conditio est versabilis; & quicquid in ullum incurrit posse in TE quoq; incurrere scito. Quæ excelsa videbantur, prærupta fuêre: sub splendore præsidatus quantus Fortunæ dolus, quantum periculum delituit; quàm lubricum Viro optimo honores etiam debiti? DEUS hunc ipsi in atrocissimo cui objectus est casu animum conservet, ut adversa hæc benignè interpretetur, ut dolere de istis, non sentire ea possit; & erumpat tandem hunc laqueum quem Fortuna publica ei impegit. Turbæ tragicæ, quæ familiæ Domini à N. præter expectationem incubuerunt à genero ipsius futuro nobili N. (Is assasinii causam è carcere Eisenbergensi jam dicit) virum optimum miserabiliter exercent; unde non videtur intempestivum mihi si & tu in re omnium gravissima Consolatoriis ei subvenias. Sed nunc Te mitto, mi carissime NESTERE, post admonitionem liberiorem, sed amicam, & quod semper feci, faciamq; deinceps, officia mea & benevolentiam, & quicquid usui aut voluptatui Tibi apud me esse poterit, offero. Optimè Vale & Salve. Perscr. Altenburgi 10. Julii an. 1644.

Tuus ex animo

Reinesius D.

EPISTOLA XXIV.

Mi Carissime J. M. NESTERE.

COnsilium tuum de iterum conscendenda cathedra Disputatoria, qui

pro bem,

probem, quî improbem, juxta nescio; ipse æstimabis & vires tuas, & cui bono. De adpetitu quatenus actioni ventriculi, quam χύλωσιν vocamus, minister quasi quidem inservit, si differere voles ventriculi constitutio, actiones publicæ, & privata, quæ est nutritio ejus ex anatomicis & è Physiologia natura concoctionis primæ altiùs tibi repetenda erit; item de molestia, quam in fame & siti sentimus, & aliæ similes elegantiolæ non minus utiles cognitu ad morbos ventriculi & symptom. ea actiones ei contingentia dijudicanda, quàm jucundæ. Velim autem ut præ reliquis Fernelium l. 5. Arch. Piccol. l. 2. lect. 15. c. 16: l. XI. lection. tribus Hofm. comm. ad de usu part. n. 199. 200. & 259: Valleriol. l. 2. Loc. comm. c. 6: Valles. l. 2. conn. c. 21. legas, iisq; te adtemperes, juxta tamen præscriptum Præsidis futuri. Proderunt etiam si practicos quà de ventriculi morbis & symptomatibus agunt consuleris; Mercur. l. 3. c. 5. 6. 7. 8. 9. Varandæum: Cæsalpinum l. 7. c. 1. & 8: Capivacc. l. 3. c. 7. & 8. item Asellium tr. de ven. lact. c. 21. & C. Pisonem observ. select. p. 25. & seqq. nisi fortasse è præceptorum tuorum prælectionibus rem confectam daturus es; quæ ut benè vertat, opto. Magnifico Dn. hospiti tuo meo nomine plurimam nunciabis salutem; & Dn. Lic. MAJORI ut tradantur cum fasciculo meæ, quas vides, sedulò curabis. Benè Vale & Salve plurimùm

Altenb. 21. Jul. an. 1644. REINESIO.

EPISTOLA XXV.

Salutem & Amorem!

Mi Carissime J. M. NESTERE.

SÆpè admiratus fui antehac, quin & detestatus, Vestratium de N. immensas glorias ἄνω κὰι κάτω θαυμαζόντων literatorem ne quidem medii subsellii, multò minus, quod putabant isti supremæ caveæ, hominem (si homo tamen adpellari meretur calumniator innocentum, detractor, & arrosor famæ proximi pestilens) sub larvâ modestiæ elatissimo animo, & qui cum esset specie profundæ eruditionis vix inter semidoctos numerandum; etsi Magisterii titulo ornatus esset, sordebat is ipsi tamen, cumq; propterea

quaſi ejuraverat, cum putaret ſe eſſe aliquid ſupra Magiſtrum. Mirum quàm pupugerit hominem ſimplex veritas, quàm excanduerit, quantas flaverit minas; ſed quæ tamen cum nivibus iſtius hyemis ſolutæ ſunt & abiêre εἰς κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης. Quare rectè feciſſe Belgam, τὸν δεῖνα, de quo Dn. D. Cundiſius audivit, exiſtimo, ſi ſcabiem hominis ſale, quo oportebat, defricuit; ſic invidiâ, qua me quidam ex iſta cohorte oneraverant, quaſi auderem iſti Hectori ut Patellus quondam me opponere, aliquo modo liberari videor. Faciat Dn. D. Cundiſius ut rem reſciſcat pleniùs, & ſi videbitur, mecum communicet. Ei quid hoc tempore ſcriberem, non erat; quare reverenter eum meo nomine ſalutes, velim; offerasq; ſimul exemplar Diatribes de Lingua Punica, alterum Dn. Lic. MAJORI; tertium, ſi ipſe non retinebis, cuicunq; volueris. JCtorum & Philoſophorum veſtratium concertationes, poſt exacerbatos utrinq; animos, & turbatam Academiæ tranquillitatem in putidas λογομαχίας, abibunt; totumq; negotium ita comparatum eſſe videtur mihi, ut utrum velim ſine nota gravioris alicujus abſurditatis defendere poſſe cogitem; alterum ſi JCtus, alterum ſi Philoſophus ſim. Iſti fructus ſunt τοῦ λίαν ἀκριβοῦς quod in Juris diſciplinâ & Reip. adminiſtratione minus obtinet, in cujus præceptis magis communis utilitas quàm diſputandi ſubtilitas quæritur; cum quâ ſi JCti non ſemper incedunt, hoc Philoſophis non curandum vel reprehendendum fuit, uti nec JCtis irridendi & proculcandi Philoſophi, ſi Principem Philoſophorum ſecuti de argumento mixto ſecundum eum pronuncient, tantùm ſalvo etiam inter diverſa & contraria ſentientes charitatis vinculo, quo omnes diſciplinæ in eundem conſpirent finem, ſalutem REIP. & Literarum. Etiam inter Philoſophos & Medicos ejusmodi ἀμφίβολα καὶ ἀμφιδέξια verſantur magnô molimine, in quibus iſti ſæpè fide rationum ſuperant hoſce; hi ſenſuum evidentia & per experientias collectâ obſervatione iſtorum acumen obtundunt; qui ſi capitalibus odiis propterea ſe exercerent invicem, ſolverent quo colligati ſunt in communem utilitatem conſenſum & navim qua vehuntur omnes perforarent. Cruſius turpiter in eo negotio ſtetit; diſputavit ἀλογικῶς, & Latinè locutus eſt ἀγραμματικῶς & δυςλατινιστί. Fiebigius cautius rem agit, ſed ut videtur ſtatum controverſiæ format aliter quàm ante, & quàm vellent formatum Philoſophi: quo quid fiet aliud quàm ut Andabatas & quidem νυκτομαχοῦντας viſuri ſimus tandem, & poſt clamoſas digladiationes τῇ κνεφαίᾳ tamen alteros ad alteros ἀναχωροῦντας? Quòd igitur poſt facturi ſunt, cum tædebit pugnarum, quod manus ſibi mutuò porrigant, & ſententias amicè interpretentur;

tentur; cur non ante, ſalvis & rebus & autoritate cujusq;, placidè ſe invicem tolerant, & ſuffert ille quoq; qui ſibi videtur ſapientior, etiam minus ſapientem, quod Chriſtianiſmi profeſſio requirit? Infelix animorum æſtus αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων φιλοδοξία καὶ φιλονεικία hoc facit; & eſt alioqui ſuperiorum Facultatum Profeſſoribus vitio inſitum ut inferiores diſciplinas earumq; doctores contemnant; quaſi qui parva iſta tanquam ſuper aſtra negligit ad magna illa pervenire feliciter eaq; decenter & cum bono Juventutis tractare poſſit. In REP. utiliter verſabiter JCtus etiam ſine præceptorum Logices & Grammatices uſu; in ſchola nihil ſani docebit ejusmodi ἀμύητος; certè vindicant contemtum ſui linguæ & diſciplinæ inferiores in Viris quoq; ſummis; quos ſerò deplorare nonnunquam audio ſiniſteritatem judicii quod de iſtis, cum deberent aliter, juvenes tuliſſent. Sed quò feror? Tu iſta tibi potiùs dicta putato, & ſine linguarum artiumq; Logicarum dictarum cognitione diſciplinarum adyta involanti ſeu irruenti idem accidere quod ferrum candens manibus attrectanti. Opt. V. & S. Altenb. Cal. Aug. an. 1644.

Tuus

REINESIUS D.

EPISTOLA XXVI.

Mi Clariſſime Dn. D. NESTERE.

TArdiùs quidem reſpondeo tuis; quare dicere mihi poſſes, quod olim Brutus ſcripſerat Byzantinis, αἱ βουλαὶ σου ὀλίγωροι, καὶ αἱ ὑπηρεσίαι βραδεῖαι. Sed nota mihi eſt æquitas tua, quæ ut veniam rogem ejus ὑπερημερίας, nec permittit, nec expectat. Sat citò tibi advenient etiam hæ cum teſtudineo gradu & moroſæ; ſi ſatis commodæ & pro voto. Conſilium tuum de ambienda Sparta publica Phyſicatus patriæ tuæ maximoperè probo; & ex officio id facturus es (decet enim eſſe φιλοπάτριδας; patriæ quippe nati ſumus) & fortaſse, quod faxit Deus, cum emolumento rei familiaris tuæ. ὁ ξένος εὐκαταφρόνητον πρᾶγμα: quod vel meo exemplo doceri potes, qui quam invidiam, quas injurias, quas intemperies, factioſorum ἐπιοβουταδῶν ſuſtinuerim, dum velut peregrinus & hic & alibi, extra

 patriam,

patriam, remotus à cognatis & necessariis vixi, non sine intimo dolore animi recordor. Inter pœnas & miserias id est; felicitatis verò pars non exigua, in amplexibus & conspectu suorum, ubi natus altusq; quis sit, vitam ducere etiam per extrema omnia. Ingrata solet esse patria; sed nec alibi valdè gratos & beneficos experimur. Etsi sordeant plurimùm domestica, uti Rhodiis artifex inter primos Protogenes, Plin. l. 35. c. 10. tamen si rationem benè subduxeris, monetam nullibi frequentiorem esse & haberi honestiùs καὶ κατὰ τίμημα quàm ubi cusa ea est deprehendes. Certè dignationem majorem constituimus notæ quàm exoticæ. Non dubito, quin si rem agas seriò, & maturè satis, prenses quos oportet, honestæ petitioni tuæ viri prudentes, & quid civi suo non degeneri sed patriæ illustratori vicissim debeant sapientes, sint adsensuri. Certè suaviùs requiesces cum Tuis in sinu Matris, πάτριδος ἢ μητρίδος; quam ego rem feliciter tibi succedere & expetere ex animi sententia, & diuturnam esse, DEUM Opt. Max. calidis precibus oro. Cæteris querelis Tuis, quibus meas nullo negotio & fortè non minus justas jungere possem, medebitur, ita spondeo, mutatio; quare ut hanc primo quoq; tempore capessere possis manibus pedibusq; labora. Πάντα, φασὶ, δεῖν τὸν ἔμπορον κάλων σείειν; hoc Tibi qui rem & necessariam maximè & utilissimam futuram ambis, dictum puta. Filius tuus iterum cathedram disputatoriam conscendere minatur; quam ad rem consilio meo usus est: Dixi sententiam λευκῶς, & quid facere quid omittere satius esse existimem significavi: si obtemperaverit, benè sibi providerit & mihi fecerit quàm gratissimum, qui nunquam deero laudibus conatibus καδδύναμιν. Opt. Vale, mi Opt. NESTERE, & Dn. Wildvogelium à me amantissimè saluta, ὅτι τάχος. Altenb. 8. Aug. 1644.

Tuus sincero adfectu

Reinesius D.

EPISTOLA XXVII.

Mi Suavissime NESTERE.

NEmo miretur, si asinus in obvium calcitret. Rhyakinus, quem omnes, etiam cum faciem modò viderint & elegans, pro horricomi & hircoso

hircoſo Cynico nimirum, barbitium, pro fatuorum maximo, & fungo, & blenno, & pepone habent, ſuo more ſolens fecit, dum gratis malè voluit, & dixit malè mihi, qui optimè de ipſo meritus fui circa examen Κυρανίδων. Vide autem & ride ineptias; ſed deteſtare ſimul evidentiſſimam calumniam, qua me monſtrum hominis adoritur; Ego nuſquam Variarum mearum vel locum iſtum PliniI vel emendationem BarthI tetigeram; iſte ut poſſet ſuam de abjicienda litera unâ obtrudere, mirari dicit quod non animadverterim & omiſerim tam neceſſariam ego. Βλάξ? an me omnia BarthI examinaturum eſſe receperam, ut ſi hîc non oſtendiſſem errorem ejus, ſim propterea abs TE reprehendendus? Fortaſsè eram facturus in libris poſterioribus quibus Plinium à capite ad calcem, ſi intereà exemplar Romanum nanciſci daretur, me excuſſurum eſſe promiſeram. Si vel Barthium vel Κυρανίδας tuas crudas & triviales defendendas tibi ſumſeras, campus ſatis latus patebat: ſed camelum deglutit, culicem vel muſcam colat homo præpoſterus, argumento magno, recto ſtare telo & invictæ eſſe veritatis omnia, quæ circa Plinium Valer. & Κυρανίδας adverſus utrumq; ſcripſi. Feram tamen æquiſſimè ſi diſſentire à me quiſquam voluerit, modò temerè id ne faciat, uti fecit Rhyakinus. De macula, quam diabolicâ malignitate, & pædagogicâ ſuâ ſapientiâ honoratiſſimo familiæ meæ nomini inurere auſus eſt, dum id in futilem anagrammatiſmum convertit, ſed ſcurriliter & pueriliter (deſunt enim tot literæ, tot abundant) non angor: nocere voluit, non nocuit. Validius debet eſſe quod lædit eo quod læditur: non eſt fortior nequitia virtute, quæ fortuitis nihil indiget, libera, inviolabilis, immota, inconcuſſa, ſic contra caſus, contra plagas, contra convitia durata, ut nec inclinari quidem, nedum vinci poſſit. (Inde, ſi maximè actionem ei intendero, eam elidere poterit, negando ſe de REINESIO quidquam dictum voluiſſe.) Injuria non tentatur in bonos niſi à malis. Eſt quidem carmen malum, ſatyra, ſcomma, canticum, pictura famoſa vel epitheſis quæcunq; in contumeliam, fraudem, notamvè alterius producto, injuria, teſte Paulo l. 5. ſent. tit. 4. & Ulp. in l. Lex Cornelia, D. de injur. & fam. lib. & graviter vindicatur à legibus; ſed ob voluntatem ſolùm & conatum, non quod bonus inde verè detrimentum acceperit; hoc eſt, quod Seneca alicubi ait, *poſſe evenire ut faciat aliquis injuriam mihi, & ego non accipiam.* Si deeſſent SALVATORIS noſtri præcepta, qui quomodo ferendi ſint calumniatores docuit voce & exemplo, & quamvis optimo jure nitamur, omitti à nobis juris perſecutionem voluit; qui improbavit ἀκριβοδικαίους, laudavit ἐλαττωτικοὺς h. e. eos qui minus quàm juſtum eſt exigunt

gunt de suo jure cedunt, condonantes humanitati, quod homo cæcus, furiosus, miser peccaverat; eram tamen Musonium Rom. Sapientem secuturus qui negabat se ὕβρεως δίκην i. e. actionem ob acceptam contumeliam aliquam ulli intentaturum esse. Superbia facit, inquit B. Aug. serm. 41. de verbis Dom. ut homines læsi velint vindicari, quasi pœna cuiquam prodesse possit aliena; Ego humiliari non dedignor, & injuriam pati; & propterea de aliena pœna non quæro medicamentum; DEUM constituo ultorem; cujus judicio cum traditus fuerit ISTE (ὄνομα γὰρ ἐκείνου ἐν ἀφανεῖ κείσθω) satis habebit pro lingua petulante tormentorum. Ego Te, mi suavissime NESTERE, mei causa bono animo esse jubeo: nihil læsus sum adhuc, nec in animum hunc descendit futile hominis nauci verbum. Mitte autem sis chartam ipsam, vel titulum tamen, si fortè ipse introspicere velim Opt. V. & S.

à deditissimo TIBI

Altenb. 14. Sept.
1644.

Reinesio D.

EPISTOLA XXVIII.

Salutem plurimam!

Mi Carissime NESTERE.

QUod de Roma dixit M. Tullius, esse civitatem ex nationum conventu constitutam, in qua multæ insidiæ, multa fallacia, multa in omni genere vitia vagantur: multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum malevolentia, multorum superbia, multorum odia & molestia perferenda est; id de orbe nostro, quantum potest latissimè habitato, verissimum est. Hujus cum incola sim, quid officii mei sit, facilè perspicio: ferre nimirum oportere quæ inferuntur à malevolis, superbis, insipientibus; quorum adfatim est. Magnæ artis sit in tot hominum cujusq; modi vitiis tantisq; versantem vitare offensionem, vitare fabulam, vitare insidias; eam mihi nunquam arrogavi Ego, sed prævidi semper fore ut pro laboribus meis literariis literionum scævorum odia, invidiam, calumniam mercedem reportem; quod quia mihi ab ISTO quoq; accidit, ταύτῃ ἴσω. DEO GRATIAS. Video autem tandem eum non hoc voluisse ut anagrammatismo

tiſmo meum nomen perſtringeret; ſed ut alluſione ſoni id fœdaret, quæ quàm frigida ipſi exierit & quàm frivola, judicium eſto penes Poëtarum elegantiores: inter pueros petulantes & mulierculas temulentas tale quid frequentatur, cum excanduerunt. Audi verò mihi, ſi vis, in Poëtam nugatorem nugas.

Hoc verò tanquam propriũ ſibi elegit fungus iſte.

M.A.R.S. furit, & veluti frendens aper acriter innox
REINESI nomen dente ſonace petit.
Quid faciam? rectum eſt VULCANUM immittere M.A.R.ti;
hujus nequitias detegit ille dolô.
Ergò age rumpe moras: προμολ' ὧδ' Ἥφαιστε. theatris
M.A.R.S. ſtolidus riſus omnibus unus erit.

In ſuo Pervigilio Medico multa ineptè ac pueriliter tractavit. Inſomnia inſaniam adfert, dicebat à Cæcilio BACHmANnuS §. 5. Per conſuetudinem inſomniam ſibi conciliavit BACHmANnuS, ipſo fatente in προαυλ.

Quidni ergò rectè concludam, cum inſanire; præſertim cum Idem bilem ſibi eum adfectum auxiſſe fateatur ſimiliter. Tantò minùs igitur curem, ſi me bile ſua inſanus aliquis & furens conſpurcet.

Iterum:

Ἄγρυπνοι ῥηιδίως μαίνονται; teſte Aretæo;
BACHmANnuS eſt ἄγρυπνος per conſuetudinem:
Ergò B. per conſuetudinem furit & atra bile vexatur facilè: Bacchæ autem bacchanti, ſi quis advorſari velit, ſeipſum potius læſerit; ignoſco igitur ut ſolent Sapientes furioſis.

En verò cor Zenodoti, jecur Cratetis! Docuero Feſtus *fraxare* idem eſſe ac *circumire vigiliam.* Hinc Dictatori iſti placuit ſancire, ut *fraxationem* poſthac vocemus, *quando quis vigilius frangitur.* Quibus fidiculis hoc ex illo exprimes, ſtercus Grammatici? Docti à Græco φράξαι deductum putant, quod vigiliarum inſtituto caſtra, vel quòd iſta circuitione vigiliæ muniantur. Hos audiamus præ furioſo literione. Optimè Vale, mi optime Amice, & Salve. Altenburgo ἀνθήμερον. 1644.

Tuus

Reineſius D.

EPISTOLA XXIX.

CLARISSIME NESTERE.

Festinus tui cum nuper ad me visisses discessus multa, super quibus eram rogaturus, intervertit; volebam quærere de Physicatu patriæ tuæ, de Wildvogelio nostro, de filio tuo, & si quæ similia hisce: fiet igitur cum iterum convenerimus. Advocationem patroni quem elegisti benè tibi succedere & ex animo, precor; fiat ut uno ictu concidant qui adversus Te insurrexêre, & de iniquitate triumfare possis. Inter ἀκριβοδικαίους ægrè, imò nunquam coeunt ejusmodi vulnera, unaqualibet parte fovente suam caulam teneriùs: Sis igitur ἐλαττωτικὸς & publicæ tranquillitatis causa, redimendæ etiam inutilis vexæ, concedas etiam iniqua, quæ te non sint nimiùm læsura, postulantibus. Quod ad me attinet, in ejusmodi, nimirum ὕβρεως δίκῃ, cessisse intra finem juris mei videri malim, quàm nimis pertinaciter in obtinendo tetendisse, ait Evmen. apud Livium l. 37. καὶ ταυτὸ τὸ ἐμὸν φρόνημα: & hoc me reapse præstitisse, potuisti cum apud me esses cognoscere: cum enim ut adversarius-tum nunc amicus iterum, damnatus publicâ diplomatis sententiâ in hoc, quod per calumniam injuriarum actionem mihi intentasset & innocenti, in multò plura damnaretur facere potuissem, ab actione tamen destiti, & junxi dexteram volenti, ne essem justus nimis, neq; essem nimis sapiens, quod prohibitum sciebam ab Ecclesiaste c. 7. v. 16. Lindnero pro honorificâ compellatione gratias ago, & maximoperè studium ejus probo: autorq; & hortator ei sum, ut laudabilia orsa continuet & via qua incepit recta decurrere pergat: Ei ut meo nomine favoris mei intimandi ergò duos aureos Rhenanos, quos à Dn. D. Springsfeldio accipies, exhibeas velim; tertium, quem simul filio tuo destinavi. Duo solùm exemplaria Dissert. misit Lindnerus; vellem misisset plura, quibus amicos demererer. Quærerem ex ipso quis Cæs. Vecell. Italicus de habitu antiquorum & modernorum scriptor, & quis ejus interpres Sulstatius? ubi, quando prodiit: an vidit apud Gueinzium? item quæ Theod. Disputat. de privilegiis? Optimè Vale, mi Opt. NESTERE, & Salve

à TIBI deditissimo

Altenb. 26. Mart. 1645.

REINESIO D.

EPISTOLA XXX.

CLARISSIME DN. D. NESTERE.

DI tuam liberalitatem! Ita me adfecisti donario Cod. mscr. Græci, ut haut posses magis. Sunt quidem difficiles nugæ in istius Nicomachi Isagoge arithmetica, & in Theologia ejus è numeris derivata, ἔργῳ κενεμβατούντων καὶ ματαιοσχόλων, uti censet Photius, qui Cod. 188. istorum librorum epitomen tradit, plurimùm paganicæ vanitatis, verùm ob antiquitatem scriptoris, imò ob donatoris autoritatem & amicitiam servabo inter thesauros meos: sed possidebo tantùm ut gryphes aurum Libycum; ad lectionem verò codicis turbatissimè exarati si quis me damnaret, eligerem in latomias detrudi. Hippocratem & Maternum, cujus marginibus, uti & Arateorum Avieni emendationes non rejiculas plurimas allevi, remittam cum describi fecero: oculos tamen, ne quid dissimulem, ad utrumq; codicem sic adjeci, ut si pace tua fieri posset, cuperem redemtos ducato meos esse: Tu placeatné conditio, an minus significa: εἰς ὑπεροχὴν & mantissæ instar codicem epistolarum Symmachi, quem tecum habes, essem additurus. Sententia tua de usu rha-Barb. tosti in Dysenteria convenit cum Senn. tr. proprio c. 7. Assatum rha-B. etiam improbant Hollerius, Rondel. meth. cur. m. c. 20: Amat. Lusit. cent. 2. cur. 44. & 53: Salvius Sebanus comm. in l. 3. art. med. Gal. c. 40: Joh. de Lamoniere obs. flux. Dysent. an. 1625. Lugdunenses adfligentis p. 95. & seqq. Sed si torrefactio fiat ex arte (rejicio enim & ipse vulgarem in sartagine ad ignem cinerum assationem) initio fluxus ubi & expurgandi & adstringendi indicatio obtinet, cum insigni fructu exhiberi posse existimo, quod roborandis intestinis ne fluxionem, quæ per se initio morbi ἀθρόως, confertimq; fit, ita promtè recipiunt, & curando ulceri ob siccitatem majorem, aptius redditum sit. Acrimonia autem quam metuitis ex igne contracta lotione tosti ex aq. ros. aut plantag. similisvé mitescit ita ut juvet, neq; obsit. Præterea torrefactio exigua non absumit partes tenuiores, quarum ratione purgat, nec relinquit empyreuma sed immodica quæ & speciem mutat. Separari verò tenuiores & igneas partes rha Barbari sola infusione cum aquis stillatitiis, quod vult Senn. ex Amato, paradoxum apud me est; non enim sufficiunt ejusmodi liquores secretis vegetabilium recludendis, sed spiritibus ad hanc operationem opus est, veluti notum. Quare faciam in hac controversia cum Matthiolo apul. in Amatum f. 31. Pereda

schol. in method. cur. m. Paschasii c. 38: Valeriola l. 3. obs. 4: Aug. Ferrer. in castigat. med. l. 2. Zacuto Lusit. de medic. princ. hist. l. 2. dub. 49. p. 749. cujus viri verba tibi adscribam: *Ego quò magis senesco* (obît ante triennium Ambstelod. octogenario major.) *eò audacior fio in exhibendo rha-B. torrefacto; ex cujus tempestivo usu millies ægros alvi fluxum patientes sanari ex tempore vidi, qui infinitis propemodum auxiliis excarnificati sanescere non potuerunt:* quos omnes in hoc, & cibos assatos, & medicamenta tosta convenire Dysentericis, secutos esse Hipp. l. 3 de Diæta: Gal. l. 9. de med. comp. Avicennam in l. 3. tr. 2. c. 7. Mesuen, alios, notum est. De specifico è combusto turture fortè inaudivisti. Et cur acria ita formidare velimus, cum in ulceribus intestinorum & conclamata Dysenteria ad usum muriæ salsorum piscium & olivarum quosdam revixisse sit apud Gal. 12. meth. c. 1. ex quandoq; in extremis casibus ad caustica & crustam inducentia procedere necesse sit: quo de adi Zacutum l. 3. prax. med. admir. obs. 18. Hæc nunc potui, mi Dn. D. NESTERE, quæ ut candidè æstimes & examines rogo. Optimè V. & S. cum Tuis. ὡ τάχιστα Altenb. 5. Oct. an. 1645.

Tuus κτ̃ γνώμην

REINESIUS D.

P. S.
Amplifs. Dn. Wildvogelium, si vobiscum est, meo nomine amantissimè salutabis. Ecquid cum adversariis tuis convenit? an posuêre furores?

EPISTOLA XXXI.

Mi Carissime J. M. NESTERE.

OCcupatissimo mihi redditæ sunt tuæ cum meletemate de non-adpetentia. Probo diligentiam & quod præsumtas Jenæ epulas ruminaris. An publicare id liceat, deliberabis. Nuper admodum hanc doctrinam sub præsidio D. Mœbii proposuit Rubiger Egranus; unde ineptum fortè videri poterit eandem cramben tantillo intervallo ibidem proponere. Per transennam, aliter enim non licuit, inspicienti mihi occurrere nonnulla, de quibus putavi te monendum esse, candidè interpretaberis. Th. 15. distinctionem τῦ κατ' ἰδιοπάθειαν & κατὰ συμπ. adhibes.

hibes. Sed nôris eam causis adplicari non posse; solùm partibus adfectis solet. Includit illa passionem; at causæ agunt, non patiuntur. Th. 18. frigiditatem ponis causam inadpetentiæ. Atqui ista νέκρωσις seu mortificatio ventriculi sequitur non frigiditatem excessivam primò, sed sensitivæ virtutis & attractivæ, itemq; caloris exolutionem. Casûs contractæ ἀνορεξίας qui contigerit cuidam per loca nivosa sævâ hyeme diutiùs peregrinato exemplum habet Zacutus l. 2. Pract. obs. 11. quem allii esu præter omnium spem sanaverit. Adpetitus in senibus non est vegetus & fortis, licet sint frigidi: quia adpetitus est à frigido naturali, seu temperatura oris ventriculi frigida, non ab eô quod ætatis decursu adquiritur: hoc enim maleficum potiùs est, quàm autor alicujus actionis naturalis. Bilem coctionem efficere dicitis, sed non probatis. Ergóne ad opus tam necessarium quale est coctio, & adpetitus excrementum destinavit natura? Deinde hac doctrina entia præter necessitatem multiplicatis; & communi repugnat sensui bilem adpetitum excitare, cum evertere notissimum sit. Ἰστέον, inquit Philotheus, ὅτι ἡ χολὴ καταβάλλουσα τὴν ὀρεκτικὴν δύναμιν ποιεῖ ἀποσιτίαν. Exempla mortis ab adfectibus vehementioribus quæ th. 26. recenses, sunt ἀπροσδιόνυσα. Quæ th. 27. narras pertinent ad fastidium certorum ciborum, non ad Inadpetentiam. Quare amputabis. Essent alia ὅσα κόνις; sed nolo in alieno opere esse Lynceus: Tu videris, itemq; quomodo tueri velis quod me Historiographi prædicato oneraveris, à quo longè abesse me fateor. Optime Vale & Salve à

Tuo

Altenb. 29. Mart.
an. 1646.

REINESIO D.

EPISTOLA XXXII.

Clarissime & Excellentissime Dn. D. NESTERE, AMICE suavissime.

NOsti me non delectari nugis, & novellas populares ferè negligere: at quæ de fonte Hornhusanô referri audivisti ἀληθέστερα εἰσι τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ. Scutica dignus sit, qui tot experimentis & fide dignissimorum hominum αὐτοπτῶν testimoniis, quæ plurima ad nos pervenêre, ausit contradice-

re; nequiſſimus autem bipedum, qui miraculoſas ejusmodi curationes extenuare. Planè ſentio extraordinaria Supremi Numinis φιλανθρωπίᾳ & benignitate hunc fontem ſcaturire, & agere aquas ejus virtute ſupernaturali; ad quam quis non obſtupeſcat? Omninò admiranda ſunt quæ ita procedunt eo loco: ſed admirabiliora (ita auguror) multò quæ videntur hiſce regionibus portendi: ſuſpiciamus, extollamus capita noſtra, καὶ προσδοκῶμεν· ἐγγίζει γὰρ ἡ ἀπολύτρωσις ἡμῶν. Cæterum quantum ad aquas dictas, ſale ſubtiliſſimo imprægnatas deprehendo, & boli cujusdam, quem ab effectibus ὑπερεξόχοις Solarem adpellem, participes: ſunt apud nos qui de mercurio neſcio quid argutantur. E noſtratibus, qui eò commeavêre ὡσεὶ τριάκοντα, nemo dum rediit; craſtini Generoſus Dominus à Brandt iter eò capeſſet: ſequentur, ut conjicio, Illuſtriſſimæ noſtræ. Ampliſſ. Dn. Wildvogelio & conjugi ejus Nobiliſſimæ meis verbis plurimam ſalutem nunciabis & votum quo eorundem incolumitatem adſiduè ad DEUM Opt. Max. proſequor, intimabis: animabis etiam, ſi ita videbitur, Rever. Dn. Pollentium & hortabaris ad iter; fortaſſe ſpe, ſi quam de auxilio Omnipotentis concipiet firmam non excidet. Planus iſte cujus in tuis ad me facis mentionem, de ſuis impoſturis ſat notus eſt; indignus cujus nomine chartas maculemus, ἐῤῥέτω εἰς κόρακας. Ita mihi optimè Vale, mi Opt. NESTERE, cum Conjuge honeſtiſſima & dilectiſſima familia. Scrib, ὡς τάχιστα, ſtans pede in uno. Altenb. 13. Jul. an. 1646.

Tuus κατὰ πᾶσαν γνώμην

REINESIUS D.

EPISTOLA XXXIII.

CLARISSIME NESTERE.

NOn ignoras κοινονοημοσύνην meam; me quod mihi velim fieri, alteri facere, & quod nolim, ne optare quidem alteri ut fiat, imò quà poſſim prohibere ne fiat. Quare vel liberalitatem tuam vel amicitiam meam damnoſam tibi eſſe non faciam, nec feram ſi faciant vel facere minentur alii; Et mitto igitur ducatum quem dixeram, & codices nunc legitimè, quippe emtos, poſſideo. Hippocrate facilè carere poſſem; marginales enim notu-

notulæ, variantium nimirum Lectionum, ne nescias, in editionem Basiliensem, quam dedit Cornarius & ipsius διάδοχοι omnes propagatæ sunt: & est hic dispunctus codex avtographum seu exemplar editionis Basil. primæ an. 1538. & an. 1543. Sed quia Veneta Aldina editionum Hippocratis Græcarum Princeps est, etsi multis modis imperfecta & rudis si conferas ad alias, & ob memoriam Cornarl, quæ omnibus medicis ob immortalia Viri merita sacra esse debet, acceptissimum habeo, licet non necessarium; habeo enim Foësii editionem Græco-Latinam: Cornarl Græcam Basil. an. 1538. Latinam Basil an. 1546: Fabii Calvi Latinam versionem Romæ an. 1525. Genuinæ tostionis rha-B. dysentericis exhibendi modum nemo tibi poterit præscribere; sed medici prudentiæ totum id negotium committitur, certis præceptis, quæ in præparatione qualibet teneant, non comprehenditur. Eum quidem leviter delineat Lamoniere; verum oportet Medicum, qui uti volet, ipsum manus operi admovere, ni velit decipi. Certè ignis instrumentum tale est, quo Medicus χαρίεις καὶ πυροτέχνης pro lubitu uti potes in qualibet materia medica suis usibus adparanda, & non agit necessariò, eademq; activitate semper, quippe medici directioni subjectus; neq; semper eadem ratio assationis tenenda est sed subjectis morbi conditionibus & temporibus, quæ infinitæ sunt utpote singularium & extra sphæram præceptorum cujusq; artis consistentium, adcommodanda. De usu causticorum in eodem morbo quod dicerem quædam, ideò fiebat, ut quod tu de vitandis acribus in Dysenteria nimis generaliter ajebas, id falsum esse, & dari locum etiam acerrimis quandoq; ostenderem; addebam etiam, in conclamata Dysenteria h. e. cum ulcere sordido & profundo, quod tunicam intestinorum interiorem jam depastum esset, adhiberi; quare non opus erat tua ἐπιχείσει, non indiscriminatim &c. Præterea neq; hoc tibi concedo, caustica ad incisionem pituitæ viscidæ injici. Ecce, si hoc fine injiciuntur caustica ut incidatur & detergeatur pituita mordax & viscida, sequitur ea etiam principio Dysenteriæ, quando detersionis incisionisq; indicatio maximè viget, injici posse: At hoc nefando quidem auditum est vel fecisse, vel docuisse medicorum quenquam; Ergò nec illud, & propterea pro absurdissimo absurdo habebitur meritò. Causticorum autem effectus est, ulcera serpentia, præsertim in intestinis crassis, potenter siccare, putrilaginem absumere, sigillare vasorum orificia, arctare & inducta crusta fluxionem ulteriorem reprimere: quo facto sanescentia præstò est: quæ singula si voles perpendere, & nodum in scirpo non quærere, facilè in hac quæstione ipse tibi magister eris. Contradicis autem tibi

tibi etiam ſic, quod cum acria, in Dyſenteria, & ob acrimoniam rha-B. aſſatum rejeciſſes, igneas tamen partes rha-Barbari aquis ſtillatitiis, quib⁹ ſpiritus acidi ammixti eſſent elici poſſe, & tum rha-B. dyſentericis convenire putas. Ego verò tibi dixero rha-B. ita præparatum ob ſpiritus ſalinos fixos in ſe receptos multò quàm aſſatum minùs probandum eſſe. Et quid ſibi volunt iſta, partium tenuium deperditio plerunq; etiam ex levi aſſatione adquiritur? Acrimoniam immodica toſtione nonnullis rebus (quædam enim quò diutiùs uruntur eò fiunt mitiora & rariora, levioraque, ſcil. quæ ſale copioſo non abundant) induci poſſe nemo neſcit; ſed quid tibi cum partium tenuium deperditione, quantum ad tuam argumentationem velis, non intelligo. Si enim partes tenues, in quibus vis purgandi in rha-B. conſiſtit, exhauriuntur toſtione, & remanent partes craſſæ terreſtresq; quarum ratione adſtringit; ſequitur toſtum quàm maximè prodeſſe dyſentericis, quando adſtringendi, ſiccandiq; potior, quàm purgandi indicatio eſt, quod tu negare auſus es. Zacutus, de quo quæris, fuit Judæus Olyſippon. Luſitanus, in exilium rejectus è patria; Vixit inter Belgas ab an. 1624. vel circiter maximè Ambſtelodami & Hagæ Comitis; obiit m. Febr. an. 1642. Octogenarius. Scripſit libros XI. de hiſtoria medicorum Principum, quibus hiſtorias curationum quas in Hipp. Gal. Oribaſio, Aetio, Paulo, Tralliano & aliis, Arabibus etiam legimus, proponit, & ſuper iis varias quæſtiones reſolvendo, dubiis reſpondendo copioſè diſſerit, veteris medicinæ peritiſſimus tenaciſſimusque. Ii libri, quos in 7. codicibus habeo, venduntur X. Joachimicis, excuſi Ambſtelod. ab an. 1634. Item libros tres praxeos medicæ admirandæ, excuſos Lugduni apud Gallos an. 1637. Cum honoribus & commodis tuis ex animo faveam, non poſſum non tuo cum fæce iſta litigio ἔκβασιν, de qua ſcribis, ſalutarem adprecari. Optimè, mi Suaviſſime NESTERE, V. & S. Altenb. 10. Octob. 1646.

Tuus germanâ fide

Reineſius D.

EPISTOLA XXXIV.

S. & O.

Clariſsime & Excellentiſsime Dn. D. NESTERE.

VIdes igitur me tuas unas, ſcriptas m. Decemb. accepiſſe: quò minus verò Tu ἀμοιβαίας meas, quas deſtinaveram, fecerunt catenati labores,

res, qui me cuivis æquo excusabunt; iniquo ne sonticæ quidem causæ. Observationi tuæ de fluxu hæmorrhoidum in puero octenni, qui tertianam exhauserit, adfine est quod in puella decenni vidi profluvium mensium alborum; Erat ea florido colore, inoffensa valetudine, & satis vegeta, habitiorque; nupsit matura viro; sed sterilis marito supervivit hodièque. Hinc colliges, si comparaveris utrumq; excretum, quanquam è diversis locis prodiens, non esse vacuationem eam tàm insolentem etiam in ætate puellari. Fiunt ut in morbis, sic in corporibus monstra. Guilh. de Baillou seu Ballonii medici Parisiensis circa an. 1570. Decani & antiquioris Scholæ magistri nihil, puto, extat de Febribus inscriptum: Noti sunt ejus libri Epidemiôn & Ephemeridum duo, in quibus σύμμικτα: l. definitionum medicar. l. de convulsionibus; & comm. in l. Theophr. de Vertigine; Eos habemus operâ Jac. Thevarti med. Paris. ad an. 1640. Consilia ejus, quæ laudantur nondum videre contigit. Si puero tuo stillarunt hæmorrhoides internæ (quibus autem signis hoc deprehendisti? nam quæ commemoras, imprimis compressio inter assellandum circa ani exitum, uti loqueris, de externis potiùs testantur) tertianæ istius focus fuerit lien & vena porta, quod paradoxum est apud Scriptores de Febribus. An quia fluxus cruentus biloso & mucoso successit, Dysenteria potiùs cacochymica fuit, ex illuvie variarum sordium collecta in mesenterio, cui tertianas & alias tribuunt communiter, putrescente? Abfuit dolor notabilis ideò, quia nulla in intestinis continui solutio; sed sola sordium extra vasa circa glandulas cumulatarum exclusio. Sed Tu videris. Optimè Vale & Salve, mi Carissime Dn. D. NESTERE. Scr. εἰς τάχος Altenb. 6. Febr. 1647.

Deditissimus Tibi

Reinesius D.

EPISTOLA XXXV.

Salutem plurimam!

INter Philotesia pocula, inter risus, jocosq; amiculorum, quibus prandium apud me condixeram, cum tuis quàm gratissimis respondere deberem, Cl. Dn. D. NESTERE, amice multò jucundiosſ. & fautor honoratissime, brevissimis id facio; at nihilominus prolixè Te amo de animo erga me Tuo, quem benevolum expertus sum semper, experiorq; hodieq;.

DEUS Ter Opt. Max. votis Tuis pro ſanctisſimo beneplacito ſuo annuat, tribuatq; etiam TIBI ὅσα φρασὶ σῇ σι μενοινᾷς è largiſſimo benignitatis ſuæ penu. De conditione in aula Electorali ſatis ſplendida, quæ divino beneficio & ſuffragiis doctorum, fautorumq; efficacia TIBI obtigit, ex animo Tibi gratulor & ſucceſſus honoribus commodisq; tuis, quorum me ſemper ſtudioſiſs. fuiſſe meminiſti, reſpondentes opto. Malignè quidem ſolvuntur hodiè præſertim in aulis ſtipendia, impenſæ etiam majores iis, qui in locis illuſtrioribus morantur, faciendæ ſunt; ſed hæc Te morari non debent, quò minus vocationi obſequaris & reliqua divinæ providentiæ, quæ fidentem & in officio ſedulum, nunquam deſerit, unicè committas. Hæc ex animo dicta videri velim. Cum filio autem tuo quid fiet? annè procuras ut Tibi ſuccedat? Si ante abitum ad me viſere Tibi lubuerit, acceptiſſimum id habebo, ſi præſertim per occupationes amico vacare mihi licuerit, eiq; pro dignitate converſari. Senties benevolentiam meam non verbis, ſed reipſa: & ſi non eam, quâ dignus es, & quam pro dignitatis conſcientia à me expectare potes, eam tamen quæ mearum erit facultatularum, & pro præſente Mercurio. Optimè Vale, mi Opt. Dn. D. NESTERE, & ama me amantiſſimum TUI ſine fuco. Scr. Altenb. ſtans pede in uno 27. Dec. an. 1647.

Tui amantiſs.

Reineſius D.

✻✻

EPISTOLA XXXVI.

S. Pl.

Mi Cariſſime J. M. NESTERE.

INſuaves, cætera gratiſſima fuit epiſtola, querelæ tuæ de fortuna, quam ſperaveras apud Schnebergano s tuos longè aliâ, alienâ & adverſâ, mihi, qui omnia Tibi ex animo ſuccedere & ſtudiorum quorum ſementem feceras meſſem aliquam metere te poſſe, toties optaveram. Sed paſſivæ eæ ſunt, & rectè referuntur in ILLUM, qui peccatis majorum & perverſitate noſtra provocatus patriæ noſtræ haſce clades & fatales turbas immiſit, per quas neq; literis ſua conſtare poteſt dignitas, neq; literis debita obvenire emolumenta: ILLE medebitur huic malo, quando placuerit. Intereà placidè feramus quod à divina manu procedit, & ſortem quisq; ſuam non deplo-

deploret ignobilius quàm decet eos, qui à paterna Numinis providentia & bonitate ſpem & fortunas ſuas omnes ſuſpendere didicerunt; quod ut facias, etiam cum anguſtiſſimis rebus, etiam atq; etiam Te adhortor. Qui providit hactenus TIBI ut honeſtè loco tuo vivere poſſes, vivit & videt, quid patiare, quid agas: eum ſi inſpectorem vitæ tuæ fueris reveritus & ſincerè colueris, non aberit ſed proſpiciet porrò quoq; , præſertim precibus, vitæ innocentia, ſedulitate in officio, amicus tibi factus. Conſilium verò tuum de ambienda parentis, nunc Elector. Saxon. Archiatri, Sparta omninò probo; neq; dubito, ſi eam ornaveris adhibendum olim fore majoribus: præterea malim Te potiùs quàm alium ignotum in hac vicinia medicinam facere. Libros, quos mitto, donatos ab autore mihi, diligenter, ſi vis, evolve, & ruminare: doctrinam enim de humoribus, de qua paradoxa te quædam imbibiſſe novi, arti faciendæ accommodatiorem inde arripies. Optimè Vale, mi NESTERE, & Salve

à Tui amantiſſimo

Altenb. 25. Febr.
an. 1648.

D. REINESIO.

EPISTOLA XXXVII.

S. Pl.

Mi J. M. NESTERE.

AD quæſitum tuum hæc habes: Nimirum eâ φιλοπευςία nimiopere mihi places, & ſegregaris propterea meritò à vulgô muſtaceorum iſtorum, qui ſolis titulorum crepundiis inſignes, non laborant valdè, quî eos defendant. Certè honores iſti non faciunt doctos, ſed inveniunt, vel ſaltim, ut eſſe adnitantur, monent. Lectione adſiduâ præſertim veterum (apud hos enim vera poſſeſſio artis ac ſapientiæ eſt) meditatione, converſatione cum doctis, & exercitatione circumſpectâ, adquiritur medicinæ habitus: non otio, luxuvé, nec inter aularum intemperies, ad furnos Chemicorum, aut in circulis conciliabulisq; agyrtaeum. Sed ad quæſitum, inquam, tuum. Dyſenteriæ vox πολύσημος eſt & inter ὁμώνυμα. Significat, ſi vocis etymon conſideres, quemcunq; inteſtinorum adfectum & quamvis eorum læſionem; hoc enim innuit particula δὺς, quæ hîc detrimen-

mentum notat, uti docuit Scalig. ad l. Hipp. de insomn. apotel. 45. & H. Montuus Pract. p. 1. l. 4. c. 16. Unde δυσεντερικοὺς adpellare possumus, qui quocunq; modo ea intestina læsi, & ob ea infelices sunt: al. δυσκοίλιοι. Qui verò intestinorum difficultatem interpretati sunt, nesciunt ipsi quid dicant, & neq; Græcè se scire, neq; Latinos esse sic prodidêre: manet tamen hodièq; ea adpellatio, ut fieri solet in iis, quibus, etsi perperam adsuevimus. Usum verò vocis varium observare est: Hipp. l. 2. Epid. 6. f. 1056 utitur voce δυσεντερίης pro quolibet alvi profluvio, cum scribit εἰλεὸν solvere δυσεντερίην ἄνευ ὀδύνης: eademq; significatione accipitur cum audimus nominari δυσεντ. ἐρυθρὴν seu rubram, 2. Ep. s. 3. extr. quam Galenus αἱματηρὰν seu cruentam, com. 3. in 6. Epid. & com. 4. ad l. de artic. f. 651. αἱματώδη, & αἱματώδη ἔκκρισιν διὰ τῶν ἐντέρων γενομένην adpellat. Consit enim hinc, esse & aliam non cruentã, vel sanguinis, sed aliorum humorum & pro natura horum diversicolorem Dysenteriam. Deinde specialiùs significat sanguinolentorum ad intestini cujuscunq; abrasionem exulcerationemq; cum dolore dejectionem; & hanc sanguineæ excretionis differentiam quosdam solam Dysenteriam adpellandam esse censere scribit l. 3. de cau. Sympt. id quod hodièq; tenet: vel sanguinis excretionem sine exulceratione, sine dolore, ut in epatico dicto fluxu, cujus mentio apud Gal. 6. de loc. aff. 5. de Sympt. caus. & aph. 65. l. 5. item in accidente iis, quibus membrum aliquod abscissum est: historiam habes apud Fabric. cent. 2. obs. Chir. 100. (Nota interpretem ista verba comm. 4. ad l. de artic. ὧν ἀπεκόπη τι λωλον, malè reddidisse, quibus excisum os aliquod fuerat) aut evacuatio aliqua suppressa, aut exercitatio consueta omissa, &c. de quibus sanguinearum excretionum modis accuratè Galenus l. jam laud. egit. Et duplex hoc significatum insinuat com. 3. ad 6. Epid. ubi αἱματηρὰν dysenteriam unam ἐξ ἑλκώσεως ἀναβρωθέντων τῶν ἐντέρων, alteram πολλοῦ αἵματος per venas in intestina desinentes ἐκκενουμένου (id quod variis de causis, diversis etiam à partibus, in morbis diversis fieri potest, observaviq; ipse in puella trienni morbillis laborante sanguinis ex intervallo mediis morbi diebus per alvum copiosissimam & salutarem, sine molestia ulla, eruptionem) esse docet. Ex hac non inutili scrupulosâve, sed ex ipso Hipp. & observationibus medicorum natâ vocis distinctione deprehendis fluxum istum torminosum, frequentem, mucosum, cruentum, qui vestrates præterito autumno populariter adflixit, nomine Dysenteriæ adpellari posse & non posse adpellari: simul non omnem Dysenteriam (hoc enim quæris) excretionem sanguinolentam esse, neq; omnem Dysenteriam esse à solutione

tione

tione continui: ad Dysenteriam verò αἱματηρὰν, quæ cum exulceratione intestinorum est, nullo modo debere referri, multò minus eadem methodo curari. Est enim in eo nulla intestinorum exulceratio, sanguisq; secernitur paucus, vix notabilis & per excretum mucum hinc inde dispersus: ac propterea nulla adstringendi consolidandiq; indicatio. Sordes autem istæ mucosæ (alii aliter denominant: accuratè rem pertractavit Sennertus noster, quem legisti) quæ nondum exulceratis intestinis tanta copia tantoq; cum dolore prodeunt, non solum temperiem intestinorum eversam (laborant ea tàm in hac quàm reliquis speciebus φλεγμονώδη διαθέσει, quâ fit ut nec publicum officium, quòd est ἀνάδοσις chyli & fæcum justa exclusio, nec privatum, quod nutritio est, ritè exequi possint: eaq; φλεγμ. διάθεσις & intemperies intestinorum sufficit ad collectionem tot excrementorum, nec opus est aliam peculiarem, & quam, uti loqueris, explicare vix liceat, dispositionem fingere) sequens excrementum sunt; sed & adfluentes è toto ichores acres & malignitatis simul alicujus participes, quâ humoribus alimentariis similem, intestinis peculiariter infestam, qualitatem imprimere apti sunt, habent pro materia. Eos ichores si ipsum etiam chymum stabulantem in venis lacteis, quæ confertim implantatæ sunt jejuno (propter hanc causam id semper vacuum reperitur, non ob eas quas varias comminiscuntur medici) corrumpere, & malignitate suâ inficere dixero, nihil absurdi, puto, dixero. Nam & sic ratio reddi facilius poterit, cur tanta copia sordes istæ egerantur, & cur cremori viscido potiùs crudoq; sanguini, quàm puri sint similes: cumq; sine dubio acerrimæ sint ob ammixtos diversi generis sales, etiam crustam villosam, quæ è tertiæ coctionis excrementis genita est & interiorem intestinorum superficiem obducit, cujus post Fallopium Riolanus l. 2. anthropogr. c. 14. Asellius tr. de ven. lact. c. 19. & Sennertus noster meminêre, resolvunt, colliquant, simul deturbant: quæ & ipsa quantitatem sordium augere potest, facitq; sic abrasa, ut dolores sentiantur progressu morbi acutiores, etiam nondum exulceratione factâ ullâ. Hæc, mi NESTERE, de adfectu isto vera Philosophia est; facillimèq; inde perspicit ὁ τὰ τοιαῦτα τριβωνευόμενος quid facto opus: scil. evacuationi, diligenter adtendendo miscellas humorum, & detersioni inprimis incumbendum esse: corrigendas humorum qualitates peregrinas nocivasq;, & si qua est, malignitatem; inhibendum confluxum è toto; præcipuè verò maturè leniendum esse dolorem, ne malum fiat rheumaticum. Quæ quo ordine & quibus mediis exequi oporteat, non erit difficile perspicere isti, qui in generali methodo

exercitatus eſt, & in ὕλῃ ἰατρικῇ non omninò hoſpes. Ego ne ab adhibitis enematibus detergentibus ſolis dolor exaſperaretur, anodynâ & emplaſticâ vi inteſtinorum ſuperficiem oblinentia cum fructu exhibere memini; & ne ab his materia adfluens mordax detineretur, per vices ad illa redire. Quin & clyſterem talem, qui duplici ſcopo inſerviret, è lactis calentis ℔ ß., vel emulſ. è ſem. papav. factæ, ℥iiij. ammixtâ portione unguenti Ægyptiaci injici quandoq; curavi, quo pituitam plicis inteſtini recti infixam, teneſmo excitato moleſtam, omniaq; detergentia alia ob ſummum lentorem eludentem egregiè deturbari, & ſimul acrimoniam ſordium corrigi, doloremq; ſine ſuſpectâ ναρκώσει ſopiri conſpexi. De Ægyptiaco noli mirari: nam & ea mundificantia, quæ pro ſordidis inteſtinorum ulceribus præſcripsêre veteres etiam vehementiſſima, ob inſignem vim σμηκτικὴν ad phlegmatis viſcidi inciſionem eductionemq; faciunt plurimùm, ut propter ulcerum ſordes ſolùm adhiberi non ſit exiſtimandum. Habes ita, mi NESTERE, ſententiam meam; qua ſi quid fueris adjutus ſive in judicando ſive in medicando, eſt quod mihi gratuler, tibi aliquà benefeciſſe; ſin res cadat aliter, feci ſic tamen quod potui, ſecurus cujusquam cenſuræ. Erant alia, de quibus ex epiſtola tua monendus eſſes: ſed nolo in alienis eſſe ὀξυβλέπτης. Τὸ λίαν ἀκριβὲς λυπεῖ: & novi fieri, ut quis unico, etiam vero dicto, interdum perdat amicum; quod nolim: reſerventur ergò iſta congreſſui aliquando noſtro, ut & de Poëtice tua qualecunq; judicium meum, Amabis autem candorem. B. V. Altenburgi d. 24. Mart. 1648.

Tuus

Reineſius D.

EPISTOLA XXXVIII.

S. Pl.

Mi Cariſſime J. M. NESTERE.

GRatiam reſponſi ad Tuas mihi facere poteras, imò ne perderem bonas horas, debebas. Sunt enim eæ reverâ nihil aliud, quam, quod dici ſolet, ὑπέρω περιστροφὴ, & exit urceus cum amphora inſtituta eſſet currere. Ita tibi in iis planè non conſentis, & luctaris plerumq; cum larvis.

Quæ-

Quærebas in prioribus, an omnis Dysenteria sit excretio sanguinolenta; an omnis à continui solutione? Negavi utrumque; & sat puto de re feci verborum, quæ animum sciendi avidum exaturent: neq; audio te contradicere. De fluxu autem, qui hornô Vestrates adflixit, in quo dejectiones ægrorum non fuisse cruentas, etsi adessent tormina atrocia, assellationes continuæ, & sordidæ egestiones plurimæ, ipsa narratio tua insinuat, quærebatur: an ad Dysenteriam referri possit; an eum curandi eadem sit ratio, quæ veram Dysenteriam? Et si ne Pyrrho quidem dubitaret, cum desit Characterismus veræ Dysenteriæ, ὑποχωρήσεις αἱματώδεις, & intestinorum exulceratio ad Dysenteriam referri non posse, & *aut me non intelligere quid sit de quo me consulas, aut valdè sinistram esse consultationem Tuam*, Tibi, quod olim Jul. Celsus Domitio Labeoni amico suo & Collegæ, D. qui testam. fac. poss. respondere potuissem, putavi tamen, quòd seriò quærere videreris, tibi satisfaciendum esse, ejusq; sententiæ necdum quidquam muto, quod Dysenteria vera & propriè dicta nullâ præsente exulceratione (demonstravi autem sine hac copiosissimas nihilominus secedere cum tantis torminibus sordes in fluxu nostro) nihil aliud sit quàm illud Scaligeri insomnium sine somno. Imò tuopte testimonio verum dixi; scribis enim te adstring. purgant. & roborant. adhibuisse: si sciebas esse simul exulcerata intestina, eccur detergentia & consolidantia omisisti? Quantum hujus rei observare mihi licuit, non restituti aliter sunt ejusmodi fluxu laborantes, quàm iis, quæ commemorabam; neq; memini toto praxeos meæ curriculo quemquam sive diarrhœa sive Dysenteriâ sola laborantem occumbere. Vel solo igitur illo, quod Massaria magnum Hippocr. argumentum adpellat, ἡ ἴησις δηλοῖ, te premo, eique, scio, cedes lubens. Illa verò velitatio de definitione morbi & ejusdem anxiâ ad regulas Logicas, de quarum certitudine ipsi earum conditores adhuc digladiantur, reductione cum magno tuo damno, siquidem circa ejusmodi fagitaris, tandem senties quàm sit sterilis, & ad faciendam medicinam impedimento; Ego ad talia, quæ plerumq; in meras λογομαχίας desinunt, didici, postquam nihilo doctior ab iisdem ad medicinam reverti, nauseare; Quàm bonæ horæ mihi in Argenterio periêre, in Silvatico, in Vallesio, in Erasti nonnullis, præsertim ubi contra adversarium aliquem disputat? Fervor enim talium, nimius plerunq; nihil sani & quod lectorem doceat suadet, ubiq; concurrente adfectu τῇ ὑποθέσει δουλεύειν, & sua defendere etiam cum virtutis jactura, vel minimùm obfuscatione. Sed ad Te in viam: In primo argumentorum tuorum, quibus me impugnas, doces cruenta simul

ſimul ſecesſiſſe in tuis ægrotis; hoc verò vel ſubticuiſti in prioribus tuis vel negaſti, ibi: obſervavi in illa noſtrâ &c. committis ergò elenchum ἑτεροζητήσεως; eodemq; laborat & alterum, ubi recenſes Symptomata in dyſentericis Schnebergæ viſis, qui fortè verè tales fuêre: at de fluxu eo, quem & idiotæ norunt ab aliis ſui generis diſtinguere, non erat quæſtio. Tertium autem clariſſima injuria eſt: adfingis enim mihi ab & eroſionem cùm colliquationem & reſolutionem ſolùm adpellaverim. De φλεγμονώδει διαθέσει inteſtinorum, quod dixeram, non percepiſti. Eſt enim ea ipſius morbi συγγέννημα quoddam; imò omnes diuturnos inteſtinorum adfectus, Lienteriam, Diarrhœam, Dyſenteriam cum aliis conſtitutis, tu verò præviam quandam ad morbum diſpoſitionem me docere ſic voluiſſe putas: poteras ex eo ſcire, quod explicâram per everſam inteſtinorum temperiem: quâ in quâcunq; parte factâ, excrementorum copia præſtò eſt: Eò ſcil. iſta adduxi, ut conſtaret unde tanta excrementorum ſordiumq; copia, quam tàm ſolent admirari, proveniat. Quid opus autem, repetendum enim eſt, aliam peculiarem inteſtinorum diſpoſitionem præterea fingere, ſi eam qualis ſit & quid in ſubjecto ſuper reliquas cauſas faciat, explicare ne quidem poſſis, & quô ad curam ægroti nihil adjuvêris. Non ſunt multiplicanda entia præter neceſſitatem. Adſertio vaſorum lacteorum ſit ſanè tibi παράδοξον: Ego verò pro veriſſima, utiliſſima, ſummèq; neceſſaria doctrina habeo, ſcil. quod Evenus quondam ajebat:

Σοὶ μὲν ταῦτα δοκῶντ᾽ ἐςιν, ἐμοὶ γὰρ τάδε: & contra
-- ὃ σὺ θαυμάζεις, τῶθ᾽ ἑτέροισι γέλως.

Ita ubiq; nobis adverſamur ipſi, & quos vel natura fratres conſtituerat, ita minimo negotio maximum diſſentimus. Eorum naturam, exortum, progreſſum & implantationem, dehiſcunt enim in epar, (non ergò in epate quærendæ) docebit te Aſellius, cui propterea debes didactron. At Galenus iſta non vidit? aufer mihi iſtas inficetias, & audi Sanctorium in meth. vitand. errorum; Fuit poſſibile, ut Galenus vel quia fuit homo, vel quia non ſecuit humana cadavera (id etiam viſum fuit Veſalio & Amato Luſitano cent. 4. cur. 100. Ego vidiſſe humana ſceleta adcredo Hofmanno in l. de oſſib. c. 11. & probare poſſum è 5. de loc. aff. c. 1. & alio Artis parvæ loco) in anatomia à veritate in paucis ſaltem deflecteret; quare cum Galenus neq; meus fuerit adfinis & conſanguineus, vel majorum meorum avunculus, quod ſciam, neq; in Sanctorum catalogo ſit collocatus, qui adflatus divinitate fuerit locutus, non video, cur omnes non poſſint honorificè, ſi ſenſibus adverſatur, eum relinquere, & quòd ipſum fugerat,

gerat,

gerat, medicinæ superaddere. Est autem ἀνιςορησία notabilis tua, Galenum gloriari, quod ultra 600. vivas (velim doceri quæ sint vivæ sectiones) sectiones administrârit. Fuit justô ambitiosior & contentiosior Galenus, scio; & novi ingenium hominis, si quisquam at de hoc λαπίσματι eum injustè accusas. De Herophilo Erasistrateo, medico sive laniô, est apud Tertull. l. de anima c. 10. quod sexcentos secuerit; ubi magnum numerum, sed quem exactè nesciret, numero certo expressit ille. Per quas verò vias chymum ad epar vehi ostendes mihi, ὦ 'γαθὲ, si non sunt lacteæ? Vexatas enim istas mesaraicas omnes ejusdem generis aliud quid continere prætereà quàm sanguinem quis, quæso, docuit? imò non facilè reperies, idq; nunquam mirari desino, qui commeatum Chymi ad epar docuerit: habeoq; propterea pro uno magnô absurdô, eodem vase ad epar Chymum ferri & referri ab epate sanguinem ad intestinorum nutritionem. Vos ista concilietis, quibus lacteæ, quæ soli Chymo apportando dicatæ sunt, figmentum videntur. Cremorem ibi hospitantem in adfectis tali fluxu torminoso simul deturbari, & hinc verosimiliter augeri copiam sordium scripsi, scil. in nonnullis, in quibus nimium sordium similium viscido cremori egeritur & quibus intestina superiora patiuntur, læsis verò solùm crassis seu inferioribus tenesmus molestior est quàm alia Symptomata; Intelligis hinc frivolum tuæ collectionis, qua quod de particulari copiæ sordium causâ & de circà intestina superiora læsis dixeram, quasi universaliter dictum arripuisti & omnibus, etiam adfectis circa inferiora, adplicuisti. Quod autem sæpius in isto morbo inferiora patiantur, superiora rarius, id præter alios medicos & nimis audacter videris definire, cum nulla causa cur illa præ his adficiantur, & fortasse hæc, utpote adfluxui è toto opportuniora & quæ labem visceribus facilius communicent, propiora utique, frequentius, quàm ista. In Dysenteriis gravibus & quæ plerosq; jugulant, omnia intestina secundum totius ductus unicam dimensionem, longitudinem scil. exulcerari, saltem ante mortem verosimile est, cum præsente causa exulcerante maximè δραςικῇ & successivè omnia intestina attingente, non possit non sequi omnium exulceratio. Quæ contra vulgatam Dysenteriam in Fientem & Factam distinctionem disputas, doctrinam de temporibus morborum convellunt, & tam à generatione morborum ipsa, quàm ab artis nostræ exercitio refutantur; scis enim puto, aliter principio, aliter augmento, aliter statu, aliter declinatione tractari morbos: alia levibus, alia gravibus & consummatis adhiberi, varièq; invicem transmutari morbos. Quando quidem igitur uti vis, initiis Dysenteriæ adest exulceratio; stante

autem indicante requiritur indicatum; jam initiis ejus consolidantia, quæ
sola ab exulceratione indicantur, præscribenda erunt è tua sententia: quô
absurdius quid ne fando quidem audire memini: & fortasse nec ipse juxta
hanc Philosophiam tuam unquam medicatus es. Et vide mihi, quomodo
argumentatio tua cum re, ad quam probandam adhibetur, consentiat: Scri-
bis Medicum esse Philosophum sensualem, considerare ea quæ sensibus ob-
via sunt; (debebas, à sensualibus cognitionis suæ initio ducto ad alia pro-
gredi, hæc enim vis ejus aphorismi est, non quod in sensualibus conside-
randis defigatur & consenescat.) Ergò licet ἐν ἀκμῇ Dys. solum erum-
pant ulcera, in principio tamen morbi ea adfuêre, sed obscurius. Si Me-
dicus considerat quæ sensibus obvia sunt, ulcera autem in Dysenteriarum
initiis sensibus obvia non sunt sed ἐν ἀκμῇ demum morbi, certè illi facient
rectè, qui cum sensui obvio symptomate morbum & uti reverà est, defi-
niunt: quod tu nolebas ritè fieri. Reliquas ἀσυλλογιστίας & contradi-
ctiones Tuas tædet examinare: tute eo me labore, si relegere volueris tuas
& ἐξετάζειν, sublevabis. De Divino Critices studio non sentis pro merito
ejus, nimisq; angustè eruditionem mihi circumscribis: *Critica illa nobis
clinicis οὐδὲν πρὸς τὰ ἄλφιτα*, ais. Ne verò acerbius Tu & alii, qui injustè
hoc sentiunt, à me excipi fortè queramini, mi NESTERE, Heinsium Vobis
,, respondere pateremini, cujus ista Prol. Aristarchi sacri verba sunt: *Cum
,, imperitis frustrà in certamen quis veniat: Qui ubi omnes machinas ad-
,, versus magnos ac præclaros homines produxerint, si causa cadant aut ab
,, iis repellantur, uno axiomate defungi solent, nihil ad farinam hæc confer-
,, re: Quod nunc omnium qui eruditionem negligunt intercalare carmen
,, est. Et profectò nec scientia, nec eruditio (fatendum enim est) ad fœnum
,, quidquam conferunt quô boves, aut Carduum quô asini pascuntur: Neu-
,, tri autem in scientia ac rationis usu fructum vitæ, sed in cibo finem ejus
,, pariter & fructum ponunt: Quod nebulæ profiteantur, nihil præter lin-
,, guam obstat. Et tamen tanta fuit veterum simplicitas, ut T. Livius bo-
,, vem locutum esse inter prodigia non semel posuerit: cum hoc tempore ita
,, homines quotidiè loquantur, & has voces ac opiniones comitatur contume-
,, lia in eruditos ac contemtus. Et quid?* Cum omnis actio nostra à scien-
tia, felicitas ab actione pendeat, quomodo, si eos autores pravè intelliga-
mus, è quibus scientiam haurimus (non autem rectè intelligemus, si da-
pravatos legimus & incorrectos) scientia nostra solida erit, quomodo actio
justa, laudabilis, felix? Ut verò rectè percipere possimus mentes præce-
ptorum nostrorum & fundamenta artis, ei rei est Critice, quæ loca à tot
seculis

seculis depravata, nondumq; restituta, corrigit, genuinosq; sensus, etiam ante obscurissimorum, aperit: Et hæc non facient πρὸς τὰ ἄλφιτα, si doctior & qui abstrusa sententiarum medicarum supra vulgus calleat medicus lectione talium evadas? Jam si locum corruptum à vitio non vindices, eoq; sive in διαγνώσει morbi & disputatione tecum privatim, sive in curatione ægri publicè utaris, nitarisq; , fieri nequit, quin infeliciter ideò res cadat, quia vitiosum instrumentum, pro justo tamen arreptum, operis tui adhibuisti. Si cum adversario res tibi sit, & adhibeas autoris alicujus testimonium; ille verò tibi ostendat vel librum illum non esse autoris sed eidem falsò suppositum, vel verba mutilata aliterve corrupta esse doceat, vel etiam ex antiquitate & autoris genio seu τόπῳ λεκτικῷ alium ejus loci sensum esse quàm tibi videatur, evincat, nónne puderet tàm fragili principio ad causæ defensionem usum esse, non vidisse νόθευμα, quod ille tamen viderit, non intellexisse, quod ille tamen intellexerit. Et hinc est illa inter artifices differentia: quam soli Criticæ, cujus beneficio ille te sic confutet, adscribere non dubito. Idem fuit judicium Galeni, quem tu de neglecta vel non exercita Critice, sed invitô ipso, & cum ingratiis ejus, excusas: Eô homine nemo ex omnibus antiquis præter Aristarchum, plura, nemo magis accurata in Grammaticis & in reliquis disciplinis aliis tradidit: Scripsit libros 48. de vocabulis, Atticis maximè; item alium de vocabulorum rectitudine: habemus ejus exegesin vocum Hippocraticarum: multa in Hippocrate recensuit, transposuit, emendavit; spurios legitimosq; libros adnotavit & distinxit; adversus editores ejus ac interpretes Artemidorum, Dioscoridem, Sabinum Lycum, alios, etiam præceptores suos, cum curâ disputavit: divertere, si vis, ad ejus in Hipp. commentarios, reperies, quod dixi, omnibus paginis: an subiturum fuisse id laboris putas, si inutilem esse censuisset, & nisi ad artis perfectionem talia requiri scivisset? In uno Wowerii doctissimo de Polymathiâ commentario plura de Galeni studiis leges, quàm in omnium ferè medicorum in eum Adnotationum voluminibus: eaq; πολυαναγνωσία Galeni & judicii soliditas una causa fuit, quæ eum super cæteros eâ ætate nobilissimos, in summa autoritate constitutos, medicantes in Imperatorum aulis (quas hic noster semper declinabat) evexit: à quibus quam ipse invidiam, detrectationes, insidias fuerit passus, semper tamen superior abiverit, eruditione scil. omnes antecellens, patet abundè vel è II. d. Præcognit. ad Posthumum. De Ceramico nôris duplicem fuisse Athenis, alterum in urbe, à Ceramô heröe sic dictum (Vide Suidam in κε. Item Aristoph. in schol.) ubi meretrices

prostare solebant; alterum suburbanum, à figlinâ adpellatum, qui & Academia, ubi sepeliri solebant, qui in bello occubuissent, & certamen lampadum λαμπαδοδρομία peragi: V. Meurs. de popul. Atticæ. Cornarii autem emendationem & interpretamentum quasi in ceramico lapsus sit iste, de quo agit Hipp. non posse subsistere claret. Reclamat enim proposito à πὸ, de vel ex: item vocula καταπεσὼν quæ eum ex alto cecidisse, non in planô, insinuat: vidit Cornarius subesse mendam; sed quomodo eluenda ea non pervidit. Historiam 52. l. 5. Ep. et. 80. l. 7. sic edidit Foësius: Τῷ μαγείρῳ ἐν ἀκάνθῳ τὸ κύφωμα ἐκ φρενίτιδος ἐγένετο, vertitque; Coco è phrenitide gibbus in spina exortus est. Cornarius: Coco in spina gibbositas facta est è phrenitide. Miram verò morborum causarumq; morbificarum μετάστασιν & μετάδοσιν! Phreneticus fit gibbosus, idq; è morbo suo! Quis unquam tale quid vel fando audivit, vel vidit factum? Portentum historiæ est & impudentis fabulatoris non Hippocratis, ista ῥῆσις. Scripsit verò Hippocrates: τῷ μαγείρῳ Ἀκάνθῳ κώφωμα ἐκ φ. ἐ. Coco in Acantho surditas è phrenitide contigit. Vides duos magnos viros totidem errores magnos errasse, habesq; simul cum restitutâ per unius literulæ in adfinem similemq; mutationem υ in ω. Hipp. Verâ scripturâ effatum ejus ratione & experientiâ testatissimum. Experimur ipsi febricitantes, maximè qui malignè, esse ὑποκώφυς, & cum delirio proximi sunt, omninò τυφώδεις & stupidos. Senex ipse scribit l. 3. ep. s. 2. ægr. 4. Philistæ continua febre laboranti & phrenitico surditatem contigisse, qui Coco Acanthino similis, & minari mentis emotionem τὴν κωφότητα, 1. Porrh. 32. Quæro nunc, si quis ex istô textu: Hipp. adservisset tibi, futurum ut ægrotus vester, phreneticus, fieret ex morbo gibbosus; nam & id Coco Hippocratico contigisse, anne risum teneres? usq; adeò enim incredibile est istud, quod sic prædiceret, fore: nec haberes tamen, qui hominem compesceres ut qui autoritate Hippocratis te premeret: quas, quæso, hîc machinas adhiberes, quam exeundi adversarium viam inires? Omne aliud effugium, omnis alia interpretatio vana erit & inefficax, neq; constringet adversarium; si quam divina Critice hîc suppeditat, objeceris, obmutescet, & mirabitur stuporem suum, qui non viderit quod vidisses tutè, & quod ita facilè atq; obvium esset. Acantho autem urbe Macedoniæ ægrotasse istum cocum intelligo, nisi Acanthus peculiaris in Cô insula locus est: eum in spinam quam Græci ἀκάνθαν, non ἀκάνθον adpellant, puerili errore transformarunt interpretes. Sunt talium mendarum in Hippocrate, Aristotele, Plinio, Dioscor. Galeno & reliquo classicorum Scriptorum genere infinitæ:

finitæ : quos quamdiu legimus non attentô, non dispunctô, quod pravè scriptum est, falsas doctrinas imbibimus ipsi, & dum easdem tradimus juventuti totum orbem erroribus, qui in consuetudinem tandem abeunt, & veritatis locum, exulantis interim, præscriptæ sic à nobis; occupant, implemus. Sentisne igitur nunc studii ejus, quod veritatem ἐν βυθῷ latentem, oppressam caligine ignorantiæ & falsitatum vindicat, & luce sua errorum nebulas discutit, nobilitatem ac cum summa utilitate conjunctam parem necessitatem? In meletemate tuo gratulatorio mutavi nonnulla, sed sine eversione sententiæ. Ypsilon in λύπη nunquam corripi nôris: Habebis exemplaria quamprimùm recepero à Typographo. Axioma illud tuum, quo Medicus Provincialis adpellaris, non intelligo: Si fortè manus mentem prævertit, mone maturè, antequam excudantur ista. Meas de peste antehac publicatas chartas, quarum indicium Tibi pharmacopœum fecisse scribis, mitto, quia rogas: non sunt eæ tales, quippe properatæ, ut obtrudi non postulanti mererentur. Optimè Vale ac Salve, mi NESTERE, & amantem tui redama: quod te facere sensero, cum crebrò iter hoc literarium relegeris. Scr. alienâ manu quod vix dictandis his sufficerem, nedum scribendis. Altenburgi 19. April. 1648.

Tuus seriâ fide

Reinesius D.

P. S.

Resigno has, mi N., quod interea dum lator offerretur cum N. vestrate, juvene haut proletariæ eruditionis, egregiarumq; minarum aliarum conversari contigerit: Id quod tibi duxi significandum. Is me consulit de molesta τειχορρύσει: quam quidam nostratium attrahentibus alimentum curandam esse dixerat, in eamq; rem præscripserat capitilavium è lixivio decoctionis radic. nymph. asphodeli, capill. Vener. & sem. nasturt. ℥ij. Tutè verò judica.

EPISTOLA XXXIX.

S. & Obs.

CLARISSIME DN. D. NESTERE.

OBservationem raram, quam desideras, de ancilla rustica bufones, ranas & lacertas per alvum excludente, bonâ fide transscriptam En! habes.

Catharina Geislerin ancilla rusticana è pago Kursdorff districtus Waldenburgensis, annos circiter 30 nata, quæ per annos multos operis servilibus in oppido nostro vitam toleravit, corpulenta, colore florido, postquam vere anni præteriti varios in abdomine dolores lancinatorios, insolentes in eodem motus, & inflationes sensisset (eadem Symptomata uti & fastidium quorumcunq; potulentorum, insanum verò appetitum aquarum & lactis à quinquennio vernis mensibus se experiri & vomitibus vehementissimis adfligi consuevisse refert ipsa) 23. Julii an. 1647. nescio cujus consilio adsumtâ Theriacâ balneum ingressa, nocte insequente ingravescentibus doloribus, post jectigationem multam sudores frigidos, amputationem vocis & alia suffocatis ex utero, vel alioqui graviter ventriculo laborantibus familiaria, evomuit 26. Junii bufones duas majores, (die grösseste Kröte hat 1. Lot und ein halb Quentlein gewogen) quatuor minimos, magnitudine fuci majoris, & lacertas duas exiguas, auricularis digiti longitudine, crassitudine calami scriptorii, vivos omnes. Territi hac inusitatâ ferarum excretione domestici me vocarunt. Reperi adhuc de doloribus rosivis, sensu molesto volutantium in intestinis glomorum, & nauseâ querentem; præmisso igitur clystere è lacte, cui aliquid Philonii, olei verò plurimum addideram, exhibui piluiarum ex aloe succo Citri impregnatâ, & extr. tr. alhand. seu diacolocynth. quod describit Libavius in Apocal. Hermeticâ, & oleo citri paratam massam; ventriculo verò roborando mixturam ex aqua theriacali, stomach. Man. c. rabarb. Syr. acetos. citr. & momento aceti scillit. præscripsi. Dici vix potest quanta sordium visu & odore peregrinarum, viridium, luridarum, maculosarum, viscidarum copia ex intervallo ad usum duplicis istius medicamenti secesserit; ægrota interim ad omnia benè habere, reverti adpetitus, cerevisia etiam sine fastidio ab ea sumi, tumultu interaneorum aliquà sedato. XII. Julii sentire se in hypochondrio pondus quasi quoddam ajebat, accedebant tormina & motiones impetuosæ, cum summa anxietate & inquietudine, donec

ad

ad mictum urgeretur; quo conatu secessit bufo minor vivus, & post bihorium major comite minimo quodam mortuus. Hasce feras ipsa è pudendis prodiisse & enixa se esse ferebat; (die grösseste hat am Gewicht gehabt 3. Lot / weniger 1. Quentlein) sed delusam arguit hoc, quod semper justa muliebria rectè processerint, id quod ex ipsa primo ad eam ingressu quæsiveram, & per alvum igitur excretæ fuêre. Nihil autem novavi, sed ex præscripto jussi pergere, uti cæperat. XVIII. Julii ingruere vomitus aquarum lutulentarum, crassarum, lentarum, citrinarum, summè fœtentium; urinæ etiam similes mingebantur cum sedimento farinaceo copiosissimo, ipsa viribus admodum dejectis, nihilominus perrexi, exhibitis etiam subindè analepticis ægram refeci. XXVIII. Julii post noctem progressam gravissimam cum consuetis sordibus (quæ intereà ad mensuras triginta secesserant) massam albam è luteo fibrosam, corruptam, fœtidam, puncticulis lucentibus velut oculis interstinctam dejecit: similemq; ad usum extr. tr. alhand. & theriacæ, è quibus formari bolos & per quatriduum exhiberi jusseram, IX. Augusti: ab eo tempore paulatim convaluit, consuetos cibos potusq; adpetiit, lacte tamen & aquis semper delectata est, & nonnunquam usa; autumnum hyememq; sine notabili offensâ peregit. Die 24. Martii proximè de familiaribus in abdomine rosionibus & turbis, ventris duritie & inflatione, adpetitu dejecto, corporis inusitatâ gravedine, pigritie & ad motum citatiorem ineptitudine, cum insomniis turbulentis & dyspnæâ molestâ, ad me ventitans querebatur: Suspicatus quod erat, sine cunctatione exhibui ei manè sumendam massam pilularum è maro-cost. Mindereri succo apsinthii imprægn. extr. panchym. & tr. alhand. vespere verò bolum è pul. dictam. Cret. Contrayervâ excepto theriacâ formatum: Dejecit sordes instar gelatinæ consistentes, viscides, viscidas, cum aquis viridibus fœtidissimis, & cum usu horum per quatriduum continuasset, 29. Martii post tormina atrocia excrevit ranam muco plurimo involutam, cum tribus lacertulis & quarto dimidiato, vivam, subindè in aquis suis coaxantem, & effusis aquis in tinâ saltantem: eâ in sextum diem in aquis suis vixit. Die Jovis ægrota satis erat hilaris: jussi igitur pergere. Die Mercurii 4. Aprilis evomuit ranas virides majores duas, vivas, & 11. Apr. bufonem grandem, turgidum, cum acutissimis unguiculis, mortuum alvo exclusit. Referebat soror per horas sex enixu conatam fuisse excludere feram, sed non voluisse, donec ipsa manum admoveret & extraheret. Nihil post hanc excretionem, vivorum animalium, cum copiosissimæ per dies plurimos, prioribus similes, contingerent, eva-

cuationes, secessit prætereà, etsi per mensis ferè spacium aloeticis cum summâ ἐυφοεία uteretur, & biberet aq. salviæ aceto scillitico temperatam. Vivit autem hodiè valetque, ne minimum quidem morbosi indidicium præ se ferens; non desinam tamen proximo, si DEUS vitam concesserit, vere quid cum ipsa tandem futurum, accuratè observare. Variè quidem jactavit, ut solet, vulgus, è naturâ exclusas fuisse istas feras; idemq; de bufone illo grandi mihi persuadere volebat soror; sed minimè omnium verosimile est, in utero naturaliter constituto (qualem nostri subjecti esse ex absentia Symptomatum signorumq; malè adfecti & menstruis ritè semper, uti ad me fatebatur, progressis colligere potui) gestatum, fotum alitumq; fuisse. Non ignotæ sunt historiæ enixarum serpentes, mures, ranas & similia monstrosa, quas collegit Schenckius observ. lib. 4. de molis; duas etiam miras hujus generis recenset Zacutus lib. 2. prax. med. admir. obs. 140. sed diversissimus est casus noster ob ea, quæ dixi. Quæstionem & dubitationem omnem de generatione diversorum in corpore isto animalium, nimirum à seminario eorum hausto cum aquis corruptis, & sic ab errore externo factam, tollit narratio ipsius ægræ. Refert enim se, cum ante sexennium, & quod excurrit, pestilenti contagio infecta putaretur, domo ab hero extrusam, ad matrem se contulisse, villanos autem quod Altenburgo, ubi pestis grassari diceretur, & quidem ægra venisset, se in ædes maternas admittere noluisse, unde coacta fuerit in casam quandam tumultuariè pro recondendo fœno extructam in prato vicino se abdere; ex eo gurgustio subindè, impellente siti, se obviis lacunis & stagnis adrepsisse, & manu hausisse, quod sitim compesceret, liquidum; ab eo tempore, cum utcunq; convaluisset, sensim ventrem intumuisse, & Symptomata suprà recensita se adflixisse. Ego non dubitem adserere, proximô ab haustâ seminibus animalium fœtâ aquâ verè per vomitum, quem singulis annis vernis mensibus pati solebat, exclusas fuisse feras: sed aquas nec ipsa quidem, utpote, quæ vel in cloacas, vel in fimeta evomere consueverat, observasset; sensisset interim multa crassa & corpulenta ore suo extrudi paroxysmis vomituum creberrimorum. Hæc sunto. In manu tua nunc est, judicare de singulis, & quid Tui super hac judicii sit, fac sciam. Optimè Vale, mi Clarissime NESTERE, me ama, & si quid ulterius me velis, impera. Scrib. Altenburg. 20. April. an. 1648.

Totus tuus

Reinesius D.

EPI-

EPISTOLA XL.

Mi CLARISSIME NESTERE.

IMpensè delector φιλοπυςία communis amici Dn. Wildvogelii: amo etiam ingenium, quod rarum ipsi & directum divinâ contigit benignitate, & ad arcana quævis penetranda aptum; judicium verò de me ejus pro adfectu, quo me Vir optimus prosequitur, interpretor. Cæterùm farina ex julis (sic enim malim adpellare quàm conos) abietum teneris quod in extremis ramis, in cœlum obversi mucronibus, surgunt, non penduli sunt, quo ipso à conis satis distinguuntur, emergens primo vere, nunquam observata mihi fuit; non ignota tamen: quippe quam à Clusio l. 1. hist. stirp. Pannon. c. 6. accuratè descriptam memineram; quem omninò adire Vos velim. Eam pro floribus abietis habere viros doctos video; sed decepit eos supina lectio Ruellii. Hic quidem l. 1. c. 10. flores croceos tribuit abieti: sed c. 46. circà Solstitium florere abietem annotat; & sic Camerar, in epit. de plantis. Matth. p. 49. Non ergò pro floribus abietis habendus fuerat pollen iste è luteo pallidus, quem primo vere juli abietis expirant; non lubet refutare pluribus, quod evidenter falsum est. Ego, si quid judicare valeo, pro aërea & subtiliore resinæ abiegnæ parte habendam esse dixero: adpellem etiam, veniâ audaciæ hujus à Medicis & Philologis priùs petitâ, cremorem vel florem resinæ. Sanè refert resinam omni sua substantia, & ab julis tenerioribus & viscosioribus adhuc evomitur, abscedit, & restat: perinde ac fuligo à resinis ustis accensisvé. Stante hoc de ejus essentiâ & origine, de facultatibus ejus disserere & decernere promtum est, esse nimirum ejusdem cum resina virtutis; calefacere, mollire, maturare, suppurare, digerere; siccare sine morsu, cicatricem ducere; unde ulceribus manantibus & Chironiis inspergi non sine emolumento posse reor. Ab eo tempore, quo ejus copiam mihi jussu D. Wildvogelii, fecisti, analogismo usus, tussi ferinæ, qua pueri apud nos præteritâ hyeme & currente hoc vere, simili illi quæ morbillos & variolas solet præcedere, populariter laborabant, eam adhibui, linctibus & aliis pectoralium medicamentorum formulis eam admiscendo, & deprehendi lenire egregiè & planè satisfacere intentioni meæ; neq; dubitarem igitur aliis vitiis pectoris & ὑπύλοις pulmonum, phthoicis dispositionibus, asthmati & suspirio opponere, quod glutinandi & incarnandi facultate etiam pollere omninò verò consentaneum sit, ob lentorem & siccas partes plurimas sine morda-

citate contemperatas. Pulveri luteo, quem vestrates post pluvias in plateis confertim sparsam viderunt instar ochræ, nihil est cum hac farina commercii: Vidi ipse hoc loco à silvis abietibusq; remoto toties annis proximè præteritis, tàm vere quàm adulta æstate & autumno, talem subtilissimi & impalpabilis pollinis instar aquis cœlestibus cisternâ exceptis innatare, iisq; quasi cuticulam iducere, odore sulphureo, quem in farina abiegna non est animadvertere. Eum phthisicis profuturum non minus quàm flores è sulphure sublimatos, non diffiteor. De usu abietis in Scorbuto nihil dum ausim adfirmare; sit fides penes nos qui suam quandam experientiam hîc jactitant; cremorem resinæ, de quo potissimum quærebatur, nihil eò facere, nisi fortasse ad exsiccanda ulcera scorbuticorum certus sum. Πολλὰ κενὰ πολέμου, ajebant olim; nos hodiè possumus, πολλὰ κενὰ ἰατρικῆς; multa vana medicinarum; & nemini ferè promtiùs creditur quàm novam medicandi rationem, & nova medicamenta venditaria lingua promittenti: scil. cum omnes præsentium tædeat & suspectentur futura, etiam incerta & fortasse nunquam futura. Sed hæc hactenus. Si catalogum Bibliothecæ Electoralis tua opera, mi carissime NESTERE, mihi procurares, solidam à me gratiam inires, audio typis vulgatum esse: Dispice igitur quæso. Dn. Wildvogelium cum conjuge & filiolo peramanter meis verbis salutabis. Opt. Vale & amantissime Salve à

Cultore nominis Tui

Altenb. 13. Mai.
an. 1648.

REINESIO D.

EPISTOLA XLI.

Mi Clarissime NESTERE.


NEq; Tu fur temporis esse desinis mihi! Ita occupatissimo & in Bibliothecam abdito apud solos soli supervenis, manum injicis, aurem vellicas intento aliis omnibus, & horam mihi perire facis narrationis pæne fabulosæ (scio enim videri multis πέραν ἢ κατ' Ἀλκίνου ἀπόλογον) recoctu. Eam verò uti optima maxima est, nihil enim ultrà verum me extulisse scias, avidus, sis accipe; Te si credere fabulanti de iis, quæ viderim ipsus hisce oculis meis, intellexero, pascam simili non minus παραδόξῳ ἀκούσματι, de intestabili quodam (ἐκλομίαν non ausim adpellare; neque

enim

enim artificis manu sectus fuit; adpellem à calamitate ὀρχώλην, quod testes perdiderit) nihilominus fæcundo. Ei de scroto à militibus chordâ suspenso & relicto dum vicini fortè fortuna intervenirent, uterq; testiculus abscessit an. 1640. ante octennium feriis Pentecostes; ei tamen conjunx integræ famæ, filiam peperit dies 5. m. Maji, annô præteritô. Hac observatione, cui similem habes apud Smetium l. 10. miscell. & apud Riol. l. 2. anthropogr. c. 30. destruitur machina omnis illorum, qui testibus principatum quendam adstruere conantur: deciditur etiam controversia de usu testium, quà seminis generationem; hanc ipsis denegavit Aristoteles, eiq; tanquam genio suo adtestatur ipsa Natura, & nonnunquam Galen. Adi Hofmannum meum l. 1. de generat. hom. c. 15. & l. 2. Instit. c. 40. 41. Multò plures, fateor, sunt qui testium corpori γονοποίησιν adscribunt; novissimè Plazzonus de partibus generat. c. 10. Sed pondere, non numero æstimanda sunt suffragia. Catalogum Biblioth. Elect. cujus spem mihi fecisti, expecto. VV. Cl. Collegas tuos meis verbis peramanter salutabis. Amplifs. Dn. Wildvogelio ejusq; dilectissimæ Conjugi plurimam à me salutem nunciari velim. Altenb. 20 Jun. an. 1648.

Tui studiosiss.

Reinesius D.



EPISTOLA XLII.

S. Pl.

Mi Carissime J. M. NESTERE.

CAusa patrocinio non bona pejor erit: usq; adeò excusando ἀσυλλογιστίας & contradictiones tuas nihil proficis: semper enim πρωκτὸς τοῦ λουτροῦ περιγίνεται, podex vincit lotionem. Eò possem supersedere labore hoc scriptionis, quod res, de qua primum querebatur, non ultra dubia sit, nisi cæcuturienti in meridie merô; sed ne χαλκέντερον delasasse videaris, en repono pauca ista; obsecrans simul ut ulterioris responsi gratiam mihi facias; facesset enim omnis hæc velitatio docta utilisq; in ineptas λογομαχίας denique, & vel aliàs nimiùm altercando veritas amittitur. Fluxus torminosus mucosus (Tu appellas *Dysenteriam vestram, in quâ nihil planè sanguinis, sed mucosa tantùm & alba substantia, sæpius sincera, rarò*

 striis

ſtriis tantum ſanguinolentis intertexta excreta fuit; hactenus tua verba) quô ſenſu ad Dyſenteriam referri poſſit, quô non poſſit, docui clariſſimè, &, ut ſpero, ex artis fundamentis: Eam verò doctrinam meam fruſtrà hactenus ſollicitaſti. Adparet autem quàm ſimulator ſis, qui non ſatis meminiſſe ſcribis, an in prioribus ſubticueris negaverisvé, cruenta in ægrotis tuis ſecesſiſſe. Ergoné verba epiſtolæ tuæ recitanti non adcredes mihi? Ergoné tibi quidquam adfingerem? Judicavi de ſententia tuâ è verbis tuis, non ex eô quod fortè in animo habebas: neq; putavi te loqui aliud, aliud *ἐν φρεσὶ κεύθειν*. Ejusmodi hominum genus quàm ſit deteſtabile vel ex Homerico *πολυθρυλλήτῳ* noveris. Quod autem verba iſta mea, quibus nullam in fluxu, de quo quæritur, eſſe exulcerationem inteſtinorum ſanguinemq; paucum excerni &c: è tua relatione deſumta eſſe contendis, & propterea te ſanguinis in dejectionibus feciſſe mentionem vis videri, planè falleris. Dixi enim jam quid Tute ſcripſeris: Iſta verò inſolidum mea ſunt, & ex meis obſervationibus, ſine tua ſuggeſtione nata. Ita ſcil. mirè ſophiſticaris: ſcripſeras, *nihil planè ſanguinis excreviſſe ægros*: jam vis ſcripſiſſe, *ſecreviſſe ſanguinem*: Quò tandem abibit diſſertatio noſtra niſi modum aliquem tandem fixerimus? Simili ludificatione in tertii mei argumenti ſolutione uteris: Scripſeras in prioribus, *ipſis initiis morbi exulcerata eſſe inteſtina*, & hinc diſtinctionem Dyſenteriæ in fientem & factam reprehendebas, & ſubruere poſſe putabas: nunc ideò te non adhibuiſſe conſolidantia ais, quia inteſtinorum exulceratio non erat notabilis, vel talis quæ indicantis rationem haberet, ſcil. nondum præſens ſeu in actu: ſi ſciviſti adeſſe exulcerationem, oportet fuiſſe talem quæ notari obſervariq; poſſet: adfuiſſe ſcribis in prioribus: nunc non fuiſſe notabilem; quid putidius ejusmodi fucis, cauponicis loquendi modis, & perplexiloquentia? Cæterùm *ἀκρίβειαν* logicam, quod ſcribis, à Te non expectavi. Sed quod videreris perſuaſus medica noſtra ad regulas Logicas examinari oportere & quadrare exactè omnia, intereſſe tua ſenſi, ſi te monerem de ſtudii iſtius ſterilitate, ſiquidem argutiolas Logicorum rixoſorum quis tantum conſectetur, & ad rem medicam ineptitudine. Certè neq; ut quis intelligat medicos, neq; ut feliciter faciat medicinam, inde tantillum juvabitur. Negas adſertionem Venarum Lactearum tibi eſſe *παράδοξον*: at cur commentum adpellas, ſi pro *ἐνδόξῳ* & probabili doctrinâ habes? Si tibi non eſſet *παράδοξον*, adſentireris Aſellio tantisper, imò ſenſui: cujus evidentia longiſſimè ſuperat fidem rationis: Atqui non adſentiris Aſellio; neque enim puto te ſcientem hominem nupera & novitate ſuſpecta commenta pro-

probare; Eſt ergò, quod tamen negas, tibi παράδοξον. Occaſionem, quâ factum eſt, ut de Chymi è lacteis venis ſimul in adfectis fluxu torminoſô deturbatione ſcriberem ſatis explicatam habes; non eſt tibi quod meritò reprehendas, niſi libidine ſolâ contradicendi ſtimulatus fueris. Quod valvulas impedire ſcribis relapſum Chymi in inteſtina, id de ſanis corporibus verum eſt: nos verò de morboſo ſtatu loquimur, in quo quin naturalia evertantur, nemo dubitet. Valvula coli initio adpoſita prohibet regurgitationem fœcum ad ſuperiora inteſtina; & tamen in Ileo contingunt vomitus ſtercoroſi: ſcil. ibi de eo quod naturale eſt inteſtinis; hic de ſtatu præter naturam ſermo eſt. Inteſtina tenuia in dyſentericis frequentius adfici quàm craſſa, non abſolutè ita definivi; ſcripſi enim fortaſse; addidiq; rationem, quam tu nondum refutaſti. Et ſententia igitur mea tàm vera eſſe poteſt quàm illorum, qui craſſa frequentius pati in dyſentericis ſtatuerunt, poteſtq; modò hoc, modò illud, modò etiam utrumq; in ægrotis fieri. Quæris, per quas vias olim, antequam Aſellius venas lacteas propolavit, ἀνάδοσιν Chymi fieri dixerim; Ego per vulgatas meſaraicas, quas aliam quandam ſubſtantiam præter ſanguinem vehere nusquam Galenus docuit, eam non fieri, ſed neceſſariò ſtatuendum eſſe, aliud vaſorum, ſimiliter meſaraicorum genus ſemper judicavi: donec quod eſſe conjectaveram, certò ſic eſſe demonſtraret Aſellius; cui eo nomine magnas debere gratias profiteor. Tu, mi Cariſſime NESTERE, ſi feceris idem, id ſanè erit laudabilius æquiusq;, quàm quod virum benè de arte meritum novitii Commenti inſimulas. Vidit is quod multi alii providere nequiverunt; ſunt enim ſcientiarum ortus, ſunt incrementa, nihilq; ab initio conſummatum eſt perfectumq;. Galenum de ſexcentis ſectionibus adminiſtratis gloriari ſcribit Aſellius c. 14. & ex eô tu id ſublegiſti: ſed quæro, πȣ̃ κεῖται? Certè allegatio margini adſcripta non ad id, quod tu vis, ſed ad hoc, *Galenum plura animalia à paſtu ſecuiſſe*, pertinet: id quod non omninò lippus deprehenderit. Non eſt ad manum mihi Galenus ut ſatisfacere de hoc plenius tibi poſſim: Ipſe inquirito, ſi de iſto eò remitti ab Aſellio lectorem putas; mihi, uti dixi, videtur ſecus, dum Galenum ipſum inſpexero.

Hæc, mi Cariſſime NESTERE, hactenus: quæ uti candidè excipias, neq; de amore in te meo, quem plenâ manu ſeruiſſe (malim ſeviſſe, ſcripſiſſes) me ſcribis, ſubdubites, rogo. Liberè loqui amo; ſed ſum ſine felle & innox totus; ſi quid verò videtur dictum duriuſculè, id odio, quo ſum ergà Sophiſtas & pervicaciâ ſuâ iniquos altercatores, reſcribas velim;

Cæteris ſum ἐυπρόσιτος, φιλήκοος, ἐυμενὴς καὶ φιλοκοίνωνος. Tu, mi NESTERE, Vale ac S. amoremq; tuum mihi conſtanter conſerva. Scr. Altenb. 31. Jul. 1648.

Tuus

Reineſius D.



EPISTOLA XLIII.

Salve, mi Clariſſime NESTERE.

Quod mirum tibi videbatur & ſimile mendacio, inteſtabilem generaſſe, faxo id veriſſimum eſſe deprehendas, ſi patienter audire volueris narrantem, non fabulam aliquam futilem, ἀλλ' ἀληθέςερον τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ. Hanns Andres incola pagi Braunshayn/ in ambactia Altenburgenſi, Nobilis ab Ende in Lumpzig recognoſcentis, annorum circiter 30. cum an. 1640. latronum è factione Suecica truculentiâ de Scroto & pene firmiſſimâ chordâ, licet exili, colligatis ſuſpenſus fuiſſet & aliquandiu ſic relicto, remoto cui inſiſtere coactus fuerat ſcabello, uterq; teſtis cum ſcroto abſceſſiſſet, poſt curatum à carnificis Altenb. Valent. Heilandi junioris vidua vulnus, ex uxore integræ famæ, quam an. 1637. duxerat, filiam ſuſcepit 6. Maj, an. 1647. cum ante illatam calamitatem bis fuiſſet ex eadem factus pater: ex atteſtatione paſtoris loci & hæc & circumſtantias alias cognoſcere licet, quæ omnem ſuſpicionem conceptûs ex alio, quem tu, ut incredulitati tuæ præſtruas, fingis, removent. Ego cui examen à ſummo magiſtratu paucis à puerperio diebus commiſſum fuerat, in loco judicii, adhibito Chirurgo ordinario Hanns Caſpar Roſen / reperi dictum ruſticum ſcroto non tantum inani eſſe, ſed & contracto & pænè nullis ejus veſtigiis, niſi cicatrice lata, inæquali, dura. Secretim adſeverabat ſe ad Venerea ſatis eſſe promtum, neq; ullam cauſam habere cur quod natum ex uxore eſſet pro ſuo non cognoſceret; ſaltem intrà annum ab accepta clade, etſi coire deſideraret, ſemen etiam emitteret, inofficioſum uxori fuiſſe & inefficace diligentia, quòd non ſatis arrigeret; eam verò paulatim ut ſatisfacere uxori potuerit emendatam. Habes ita rem omnem; nimirum eum qui fæcundus fuiſſet cum teſtibus, etiam ſine his talem; & hinc firmiſſimè eliditur ille principatus teſtium à Gal. 1. de ſem. c. 12. Laurentio & aliis γαλινομανέσιν adſtructus, & ſeminis à teſtibus confectio, vel fœcun-

cun-

cunditatis impressio, vel necessitas testium ad generationem seminis quà semen; datur enim semen absq; testibus & quidem fœcundum. Ego sic censeam, salvis virorum doctorum judiciis, vasa spermatica, præparantia & deferentia seu ejaculantia, itemq; mediam inter hæc & iis continuam ἐπιδιδυμίδα illæsa mansisse; & vasis igitur primas in γονοποιήσει tribuendas esse. Sanè vasa seminalia, & quà meatus materiæ seminalis sunt, & quà gyris anfractuosis varièq; tortis plexibus constituunt super testes seu adstites glandiformes, integris testibus ab horum corpore avelli possunt, teste Gabrolio; super testes verò communi vasis spermaticis tunica veluti suis extremis inhærescere testiculis, reliquo corpore ab eis sejuncto, & semen per eos diffusum reperiri, detracta leviter exteriora membrana, fatetur ipse Riolanus: Veslingius etiam sanguini in vasis præparantibus nonnihil immutato seminis rudimentum indere; qui ambo tamen humorem seminalem ipsam testis substantiam subire & ingredi, ut testibus vim generandi semen insolidum adstruere possint, statuunt. Ista non tantùm ipsa partium genitalium structuræ diligens inspectio & ratio mihi suggessit; sed habeo prætereà, ut ita sentiam, autorem fide dignum Hollerium,
„ qui in Comm. ad aph. 63. s. 5. spadones generare adserit, modò relicta
„ sit pars superior testiculi. Si enim ea (ἐπιδιδυμὶς) remaneat cum vasis
„ seminariis integris ut sit illa continuitas (viæ seminalis ad prostatas) po-
„ terit quis generare absq; testiculis; & hoc ipsum in nostro factum est.
Neq; tamen tàm Suffenus mihi sum ut verum in re abstrusissima & quæ varia quibusvis seculis ingenia exercuit, me vidisse tàm ut verius aliquod indagando capi nequeat, contendere velim; propono ista Tibi, Collegis Tuis, & si qui eruditi alii in participatum συμφιλολογήσεως & suavissimæ inquisitionis mecum venire velint, neq; examen cujusquam, qui de talibus judicare quieverit, defugio. Palma in medio posita est; & tam vinci sententiâ alius quàm vincere sententiam meam habeo pro decoro; quippe Veritatis τῆς ἐν τῷ βυθῷ, causa est quæ agitur. Alioquin circa genitalium partium structuram & nomenclaturas magnam confusionem in Anatomicorum tàm veterum quàm recentium libris esse queritur Hofm. l. 2. Instit. c. 40. & Riol. l. 2. anthrop. c. 30. p. 269. de usu verò testium tricæ & rixæ sunt longè plurimæ: cognoscere est è Laurentio l. 7. Anat. qu. 2. & Bauhin. l. 1. Th. c. 37. Mercurialis l. de gener. hom. Christ. à Vego l. 1. de arte medic. c. 3. Zacutus l. 3. de med. princ. hist. no. 26. Veslingius, Plazzonus, & vulgus reliquum acerrimè pugnant pro γονοποιήσει testium; neq; neget quisquam, rectè id fieri κατά τι. Sed quod contra Aristot. se

pugnare

pugnare putant, alucinantur; nam & hic, licet vaſis tribuat σπερματοποίησιν 3. hiſt. an. c. 1. 1. de gener. an. 4. in teſtibus tamen fieri σπέρματος πέψιν, ſcil. in iis in quibus ſunt, pariter adſerit, 1. de gen. an. c. 12. Quare non eſt in re ipſa tanta diſcordia, ſi factiones & capita in concordiam venire contigerit. Non memini recentiorum quempiam hoc ſolo argumento, quia ſemen in teſtibus non reperiatur, teſtibus σπερματοποιητικὴν denegare: dicat Sennertus, vel Tute, quinam iſte: multò alia ſunt & momentoſiora quæ pro vaſis contra teſtes adferri poſſunt & ſolent; & huc referas etiam hiſtoriam meam: cui non ita facilè reſpondebit, ſcio, Sennertus, quàm Cabrolii obſervationibus reſpondit; quanquam Smetii iſtam ne attigerit quidem, quod tamen facere oportuit; nam & eam tanquam contrariam ſuæ ſententiæ adduxerat. Analogum quiddam teſtibus habere potuiſſe Cabrolii ſcortatorem effugium tantùm eſt, ne vaſis ſeminis confectionem in inteſtabili tribuere cogatur; & habuiſſe minimè probat tamen. Et quid opus fingere analogum quid teſtibus, ens præter neceſſitatem, cum adſint vaſa munere σπερματοποιήσεως, quod teſtibus tribui ſolet, fungentia? Riolanus autem quàm ſibi ipſe contradicat vide: Vult ſeminalem materiam poſtquam ſubſtantiam teſtium intrò ſubiit, ibi fœcunditatis characterem, quem imprimant ſcil. teſtes, aquirere; & tamen hiſtoriam Fontani de Nobili, qui etiam poſtquam ei uterq; teſtis catapulta evulſus fuiſſet, è pudica uxore filium ſuſcepit, velut creditam ſibi veramq; producit: unde enim in hoc fœcunditatis ſeminis, ſi ſoli teſtes eam efficiunt? Dodonæum allegat idem Riolanus ad baliſtam, ut loquuntur JCti Itali, eumq; in fonte non conſuluit; & proinde Te quoque, qui ſecurus arripuiſti, decepit de Hiſpano: Anglum fuiſſe ſcripſit Dodonæus. Riſi verò, quantum ſatis fuit ad riſum, hoc præſertim lacrymabile tempore, non admodum proclivi, quòd Te evnuchum natum vidiſſe putas, cum vidiſti puerum cum ſcroto vacuo, & tumultuaris cum φορτικῷ illo tuo *heùs*. Novi & ipſe talem in familia nobili; ſed evnuchum tamen non adpellem, reverens Grammaticorum & Medicorum χαρίεντων. E Galeno didici talem vocari κρυψόρχιν vel κρυψόρχιδα; occultati enim in abdomine latent teſticuli, nondum in ſcrotum deſcenderunt: id quod in fœtibus perpetuum ut lateant intrà peritonæum, vel hæreant in ventris capacitate, ad os ſacrum. Rulandus pater duos fratres orphanos Gundelfingæ, unum XV. alterum XII. annorum vidit, quibus ſuprà pectinem ſupra oſſa pubis in ventre conditi delituerunt, à parentibus, ab obſtetricibus, à tutoribus, à vulgo habitos inteſtabiles, quod in ſcrotis parvulis nihil deprehenderetur glandoſi: adi

ejus Cent. V. curat. 97. & 98. Hosce etiam non adhibita opera medica, (quàm frustrà insumsit Rulandus, testes in scrota puerorum balneis, inunctionibus, & ligaturis detrahendo) semen & fortasse fœcundum quoq; emissuros fuisse non est dubium; testes enim habebant, etsi dislocatos, non demissos in scrota; quæ demissio, cæteris paribus, generationem per se nec promovet si adfuerit, neq; si defuerit lædet aut reddet sterilem, quod metuerat Rulandus. Libautius in schol. ad aph. d. s. V. multis adesse ut intrà ventrem conditi sint testes, eosq; ferè primis coitibus descendere fatetur: etsi minus rectè eum situm testium inter causas sterilitatis recenseat. Meliùs Theod. Collado observ. in Anat. Laur. c. 12. in penis distentione, cute testium sursum retractâ, testes quoq; sursum ferri adeò, ut sæpe omninò sub cute pectinis occultentur: unde quoq; vasa seminaria tum nulla ratione tensa, sed omninò relaxata semen meliùs profundunt; & Sennertus ὁ πάνυ nonnullis naturale esse scribit planè in abdomine reconditos habere testiculos. Ridiculus igitur Rulandus cum suo παρέργῳ & curatione. De numero librorum Biblioth. Electoralis non quæsivi; gratias tamen Tibi ago pro opera; ipsos librorum titulos, loca & tempora editionum volui: Eos si per Bibliothecarium licet, describi meô sumtû cura. Eo verò etiam nomine me Tibi obstrictum agnosco, quod amicos tuos, meos quoq; esse velis; ita enim intelligo, quod à pl. Rever. Dn. D. Wellero salutem mihi nuncias, cui fui hactenus, perinde ac iste mihi, ignotissimus; Eum meis verbis reverenter saluta, quæso, & quoniam sic voluisti, interesse nimirum amicitiæ sauciendæ judicans, frivola illa mea, certè indigna tanto Viro obtrudi vicem muneris cum multa tamen excusatione obfer. Amplifs. quoq; Dn. Wildvogelium meo nomine amplectere. Optimè Vale & Salve mi NESTERE,

Ego Cui omnia facta esse cupio, cupiamq; quæ voles

à TIBI deditissimo

Altenb. prid. Kal. Sextil. an. 1648.

REINESIO D.

EPISTOLA XLIV.

Mi CLARISSIME NESTERE.

MIctus sanguinis variæ à Medicis causæ enarrantur; omisêre, si quid valeo judicare, suppressam per venas hæmorrhoidales evacuationem. Hanc mictûs sanguinis copiosissimi (matulam enim implevit) meri, sine urinarum aquis, & crassi (quidpe in vesica restitabat, & summè angustabat hominem) magno cum impetu tandem prorumpentis hisce diebus in Pastore suburbano, ante mensem huc è Thuringia promoto, quinquagenario, gracili cum venis latis turgidisq;, & quantum videtur σπληνικῶντι, qui per totam vitam suam nihil sanguinis vel è venis, vel ex habitu amisit, causam videor observasse. Intra novem septimanas ter eundem paroxysmum, stato circuitû, expertus est. Cum de hæmorrhoidibus à me interrogaretur, à triennio eas sibi substitisse referebat; Vos an tale quid vel fando unquam audivistis, vel legistis? Mihi ea μετάστασις non videtur impossibilis ob viciniam partium ne de ξυῤῥοίᾳ καὶ συμπαθείᾳ quid dicam; eòq; hanc insolentem αἱμόῤῥυσιν, absentibus signis vulgarium causarum & adfectorum locorum seu partium, hepatis, lienis, renum, ureterum, vesicæ, &c. ad suppressionem consuetæ evacuationis referre malo, eoq; curam interim dirigo, dum locum affectum alium dies ostendat. Fortasse Anatomicus diligentior vias & cuniculos à venis ani ad vesicam invenerit. Hofmannus meus l. 3. Instit. c. 97. per ἀναστόμωσιν, cum copia peccat sanguis, accidere sanguinis mictum illis, quibus singulis mensibus hac exit, ut videantur fœminarum naturam induisse, annotat; sed venas tamen è quibus ad vesicam præcipitet non determinat, & videtur sola viscera in causa ponere. Zacutus l. 2. prax. admir. obs. 69. vidit, cui aliquoties febris ardens solveretur mictu sanguinis critico, quantitate duarum librarum. Suspicioni meæ de hæmorrhoidibus, ne quid dissimulem, nihil adeò videtur obstare quàm copia sanguinis, quanta è venis ani uno impetu & cursu excerni vix potest, nisi diuturnus congestus tantum ejus accumularit; id quod tamen fœminarum menstruantibus accidere, ut insigni copia & φορᾷ prodeant nonnunquam iis justa, experimur. Cogitemus. B. V. & S. Altenb. d. m. 8. Ann. 1648.

Tuus

Reinesius D.

EPI-

EPISTOLA XLV.

S. Pl.

Mi CARISSIME NESTERE.

PErſuaſi igitur Tibi de ruſtico exteſte & nihilominùs patre? Pœnitet cum homine non tantùm incredulo (hoc enim non adeò culpabile foret) ſed etiam pervicace, qui tot hiſtorias, à medicis eruditis & gravibus conſignatas, idem narrantes, quod ego Tibi, & negligeres & faſtidiosè ceu figmenta ſeponeres, tot egiſſe teſtibus & rationibus. Quod enim dicebas omnem id fidem excedere idem etiam tuam excedere, h. e. Te non credere ſignificabas. Multò cautius loqui oportuit de re, nova quidem & inaudita Tibi, at non nova & comperta aliis. Ad medicaſtram iſtius ruſtici injuſtè torques verba conſtitutionis Moſaicæ, cum ea Judæa non ſit ſed Chriſtiana; ad quam Lex forenſis & Politiæ Ebræorum propria tàm non pertinet, quàm ad Te: certè Tibi eam latam eſſe non agnoſces, ſi ſapias: & putáſne, ſi contingat uxorem pro viro ſuo ſe objicientem adverſario caſu ejus penem prehendere, ἀποχειρισμὸν ei pro pœna decreturos eſſe judices in Dicaſteriis, Scabinatibus, Tribunalibus noſtris? Sanè non adeò ſtulti ſunt; imò, ne neſcias; ruſticus iſte ſuam uxorem ſecum habuit adſiduam perdius pernox, quæ medicamenta ipſi, ſi non eſſet αὐτοδιάκονος adplicare potuit, ut eum contrectare medica neceſſe non habuerit. Poteras ergò tacere, cum nihil aliud retulerim ego, quàm quod curaverit eum fœmina; non addiderim, quod ipſa ſuis manibus; quod Tu tibi fingis ut verba Moſis epiſtolam tuam complerent.

De puero cum ſcroto vacuo errorem tuum nunquam poteris ſatis excuſare. Paralogiſmus eſt ex inſufficiente enumeratione partium ſpecierum vel cauſarum natus: Puer non habet teſticulos in ſcroto: E. nullos planè habet: E. evnuchus natus eſt. Intelligis enim nunc è meis, poſſe habere in abdomine latentes, uti alios habuiſſe loquuntur obſervationes, & aliquando generaturum, niſi aliud impediat. Quia facultatem ſuo tempore generandi habet, ecquî eum evnuchum rectè adpelles? Si quos evnuchos naſci ſcripſit Sennertus, nihil pro Te id facit; eô ipsô enim non negat naſci κρυψόρχεις, qui ſanè non ſunt evnuchi: hos ab illis debebas diſtinxiſſe.

Paſtor ἀιμμεζήσας d. X. hujus ad me venit ipſe, utcunq; ſanus. Ajebat octavo hujus poſtquam meo conſilio vino uſus fuiſſet ſolito largiùs, hæ-

morrhoides ſibi fluxiſſe. Præſcripſeram diebus aliquot continuis deglutiendas pilulas ex aloe ſucco cich. impprægnata & extr. troch. alhand. His abſumtis ſucceſſit fluxus. Cum autem etiam antequam is contingeret, dolores in hypogaſtrio ſiniſtro & regione renis, qui fuerant acutiſſimi, ne tactum quidem ab extrà ferentes, omninò remiſerint complicatum morbum fuiſſe colligo; & ſuperiùs quidem vexantes dolores de adfecto rene, inferius de hæmorrhoidum ſuppreſſarum ſymptomate teſtari. Caſus ab Höchltetero notatus eô differt à noſtro, quod illis ſanguinem per veſicam fuderint hæmorrhoidæ externæ, ut expreſsè indicat autor; noſtro internæ, uti ſuppoſui intereà, dum aliquod verius expiſcer: nec enim quidquam moleſtiæ in ano ſenſit unquam, ſed tantum gravantem dolorem in ilio ſiniſtro. Quare quod viam mihi monſtras è Bauhino ab externa hæmorrh. ad veſicam, id eſt ἀπροσδιόνυστον; neq; enim hanc quæro, ſed aliam ab internis ad veſicam vel penem; poteſt enim etiam ex hoc venire ſanguis, quem impropriè mingi dicimus, etſi in veſica non fuerit. Imò licet vena quædam hæmorrhoidalis ad veſicam pertingat, fortaſse in ejus ſuperficie diſpergitur, vel in cervice obliteratur; unde niſi eam in veſicæ fundum per ejus tunicas implantari & notabili eſſe amplitudine demonſtres, non poteris ex ea mictum ſanguineum elicere. Quod aloën in ſuppreſſione hæmorrhoidum adhibere times, nihil eſt, & facis contrà rationem: refutatq; Te ipſe caſus noſter & totus practicorum chorus. Quod ais tutum non eſſe ejus uſum, vellem dixiſſes, quâ ſuâ facultate intuta ſit aloë, & definiviſſes quibus: aliud Te docebit Scaliger Ex. 160. ſ. 3. Matthiolus ad Dioſcor. l. 3. c. 22. Sennert. Pr. l. 3. p. 2. ſ. 2. c. 12. qu. 2. Incommodare poteſt ejus uſus hæmorrhoidas patientibus ob igneas partes: at noſter non patitur hæmorrhoidas; ſed pati debebat pro naturæ ſuæ ratione: & cum eas ordinariè pateretur, nihil adverſi circà valetudinem ſenſit: Adi Minder. aloëdarium c. 10. der wird dem Herrn aus dieſen ſeinen Traum de aloë helffen. Nunc reſtat, ut obſervarem in iſto meo, an ordinariè fluentibus hæmorrh. nihilominus dolores renales reverſuri ſint; ſi redierint è rene ſiniſtro defluxiſſe mictum ſanguinem concludam potiùs quàm ex hæmorrhoide in veſicam ſe inſinuaſſe, quod videbatur priùs. Copia ſanguinis, ejusq; uno tantum mictionis actu (ſecutæ enim eum ſunt proximè urinæ naturales & limpidæ) ſecedentis dubiam mihi reddit conjecturam de μεταστάσει ex hæmorrhoide, tu eam ſtabilire vis ex adfecto ſplenæ noſtri, quo fiat, ut in vena cava ſanguis calidior & aduſtus colligatur & ἀθρόως ad ramum epigaſtricum præcipitetur. Verùm quid loquaris non intelligo.

Quid

Quid enim venæ cavæ communionis cum ſplene? nullam agnoſcunt anatomici: ſed venam portæ adhærere ſpleni tradunt. An ſanguis quem elaborat lien apud Te in cavam traditur? Nemo medicorum ante Te hoc docuit: alios ſanguinis lienaris uſus, & quò didatur iſte, nimirum confici pro alendo liene, ventriculo, inteſtinis & aliis ventris inferioris partibus, eòq; dividi demonſtrant: An hæmorrhoides externæ (ſemper enim has nominas, nunquam internas) à ſplene derivantur? Contradicunt omnes & eſſe à vena cavâ, ejus plenitudinem deplere ajunt. Vides in quem labyrinthum incideris diſcurſu tuo; quem meæ ſuſpicioni, (à copia ſanguinis excreti deſumtæ, non eſſe ex hæmorrhoide) opponere poſſe putabas? Et licet in iſto viro adfectum eſſe lienem non admodum negare velim; non tamen adfirmem ejus πάθος tale eſſe quod ſanguinis mictu curare inſtituat natura. Fecerit hæc potiùs conſilio curandæ plenitudinis, quæ eſt adfectus totius in eo cui ſanguis nunquam miſſus. Non enim ſequitur: Lienem malè vel præter naturam diſpoſitus eſt: E. ſanguinem quem mingit è liene profundit. Et quas vias è liene ad veſicam mihi, quæ ſanguinem vehant, oſtendes? De aquis enim ſcio (etſi viam à liene ad renes non agnoſcat Galenus 13. m. m. c. 18.) per arterias ad renes venire poſſe, hinc enim illæ per urinas nigras purgationes criticæ in ſpleneticis, melancholicis, ſcabioſis & ſimilibus. An abutetur natura meatu qui aquas vehit ad deducendum ſanguinem? Imò cum ſanguis à liene confectus ſit ἰχωροειδὴς, ὑδαρὴς, λεπτὸς; noſter craſſum & qui non niſi ſummo conatu, tandem expreſſus quaſi per penem, prorupit, excreverit etiam hinc mictum à noſtro, ſanguinem non veniſſe è liene manifeſtum facio. Remotô igitur adfectu lienis, qui cauſa eſſet mictionis iſtius reſtat conjectura ſecreviſſe eum vel è rene ſiniſtro, vel ex hæmorrh. internis. Si varices teſtium (in ſiniſtro enim qui laxius propendere & ſemper dextro turgidior eſſe ab ipſo dicitur, ſentit conglomeratas quaſdam ad duritiem venas inſtar funiculorum) aliquando dehiſcere & ſanguinem eructare ſolere à quoquam obſervatum meminiſſem, non invitus eò perpenderem ſententiæ, ex iis hiaſcentibus ob copiam ſanguinem per penis ductum prodiiſſe: prodiit enim non permiſtus lotio; & è veſica igitur, quæ nunquam omninò vacua, non prodiiſſe videri poſſet. Sed ἅλις δρυὸς: feci ut ſententiam meam redderem probabilem, & oſtenderem Tibi ἀσυλλογιστίαν tuam in argumentando pro mictu cruento è liene: quæ ſi me amas, candidè interpretaberis. Facilè autem Tibi perinde ac cuivis alteri permitto porrò diſſentire, modò id cum ratione facias; & contra fundamenta præceptaq; artis & experien-

tiam artificum nihil decernas. Catalogum Biblioth. Electoralis amico, qui Helmstadii hodiè agit, eumq; per me sibi procurari petiit, transmissurus sum: quare matura curare ut describatur. Pro opera satisfaciam Tibi, quamprimum Ille mihi; quod sanctè recepit. Dubito in ea contineri libros rariores, præsertim Græcos ἀνεκδότης, quos ego præcipuè venor. Cum cremore resinæ abiegnæ, super quo tanta Vobis inquisitio, ecquid fit? Cupio audire judicia eruditorum, præsertim Freibergensis illius, qui pro floribus abietis habebat. Sulfur, quod cum pluviis vernis æstivisque, præsertim per calores intensos, decidere aliquando dicebam Tibi, iisq; collectis supernatare, etiam hac æstate, etsi non ita copiosum, collegi. Picturas meas revoco. Optimè V. & Salve à REINESIO. Altenb. 19. Aug. an. 1648.

EPISTOLA XLVI.

S. Pl.

Mi Carissime J. M. NESTERE.

RItè abs Te factum est, quod silentium tibi tandem imponis; nihil enim restat in controversia nostra dubii, quantum quidem videre possum Ego. Verum est de ejusmodi, etiam mel esse saturis insuave; & molesta sanè res est, si eadem de iisdem toties respondere quis cogatur. Si faceres aliter, soli esses oblocuturus, simulq; amici facilitate abusurus; quin & otio tuo. De duplici verò errato, quod excusare tamen frustrà contendis, monere te audeo prætereà, etsi impatientem talium; Ferè enim sic comparatum est nobiscum, ut, quod ait alicubi Scaliger, quisq; simus castigatorum nostrorum hostes acerrimi. Λέξις Galeni, quando sexcenties se in animali à partu secto deprehendisse scribit, intestina suo complexu iis, quæ continerent, esse adplicita, tropica est & exponenda vel per hyperbolen, vel per synechdochen, qua numerus definitus major aliquis, in definitum magnum significat, eòq; vocula *Sexcenties* per multoties, sæpius, creberrimè. Habes sæpissimè apud Ciceronem, aliosq; autores classicos: *Sexcenta talia possem proferre*; *sunt mihi sexcenti in hanc rem testes*; ubi sexcenta permulta, plurima explicari debent. Quin & in istô Græcorum, εἷς ἐμοὶ μύριοι, i. e. unus mihi instar millium; μύριοι seu mille illi non sunt tot numero, sed multi, sed plurimi. Similem hyperbolen in scripturis etiam sacris observare est, quæ multitudinem & copiam alicujus rei denota-

curæ,

turæ, multiplicatam eam dicunt præ ſtellis cœli & arenis maris: Gen. 15.5: 22.17: 26.4: Exod. 32, 13. Nahum. 3, 16. Nehem. 9, 13. & alibi paſſim. Eodem tropo utuntur eædem in vocula ſepties, quam poni pro multoties, Gen. 4, 15: 33, 3. Jobi 5, 19. Pſal. 12, 7: 79, 12: Prov. 9, 1: 24, 16. norunt omnes docti: Deprehendis igitur nunc quo vitio laboret collectio tua: Galenus hoc vel illud Sexcenties deprehendit in ſecto à paſtu animali: Ergò animalia à paſtu ſexcenties ſecuit. Debebas ſic arguere; Galenus multoties & vel ſexcenties deprehendit in animalibus à paſtu ſectis: Ergò multoties animalia à paſtu ſecuit; Id quod nemo tibi negabit. Id verò quod erat de ſexcentis ſectionibus, numero rotundo, non pluribus, non paucioribus, propriè, eſt immane λάπισμα, **ein allzuweiter Schuß**/ ſed contra Galeni mentem: neq; poteſt è verbis hujus confici. Vim & ſignificationem dictam ῥήσεως Galenicæ non adtendens penetransvè Aſellius, & lapſus eſt ipſe & te non ſatis cautum decepit. Impertinenter verò huc advocas Cl. Sennertum; loquitur enim ibi è mente Aſellii, ideoq; cum etiam αὐτολεξεὶ exſcribit, in gratiam eorum ad quos fortè Aſellii opuſculum de Venis lacteis non pervenit, & ut ſententiam ejus, ipſius planè verbis, proponat. Neq; imputandum propterea Sennerto quaſi verba Galeni eô ſenſu quô Aſellius capiat, ſtatuatque, Galenum tot viventium animalium ſectiones adminiſtraſſe. Inſpicee verò textum & mirare ſimul errorem tuum. Dejerare auſim idem reſponſum & interpretationem eandem te à Sennerto accepturum, ſi ſuper iſto loco Galeni eum conſuleris; quando adhuc in vivis eſſet. In τῷ *ſeruiſſe amorem plenâ manu*, graviter erraſſe diffiteri non debebas; quod autem excuſas præterea, eo culpam magis facis conſpicuam. In compoſitis à verbo ſero eâ forma præter ordinariam habemus præterita ut *conſeruiſſe, diſſeruiſſe*, &c. Sed tum alia ſignificatione ſunt quam ſimplex cujus præteritum ſemper *ſevi*, nunquam *ſerui* formatur. Vellem effati tui, *obſoletum eſſe τὸ ſerui à ſero*; ex antiquitate teſtem produceres; etſi obſoletum eſſe nôras, habebasq; aliud uſitatius, cur hoc non utebaris? Iſta enim κακοζηλία potiùs eſt; & fatua caſcorum adfectatio. Cave autem opponas Grammaticum & Medicum. Scientiæ enim horum ſibi πῶς ſubalternantur, niſi barbarorum & eruditorum Medicorum in claſſem referri habeas in promiſcuo. Seria ea res eſt & nos à barbaris & imperitis Medicaſtris unica diſcernit, literarum elegantiarum ſtudium & cognitio artium humanitatis; non igitur joco tranſigi à te debebat, ſcil. *medicos non vivere in Tulliano vel Tuſculano*; Ergòne ex officinis barbarici, in quibus nec linguarum nec artium cultura ulla, producis

mihi

mihi vitæ humanæ arbitros, valetudinis magistros, toti humano generi utilissimum hominum genus medicos? E Tusculaneis, ex Academiis, è Lyceis, è Muséis prodeunt tales; in quibus si qui plus profecêre, eò nomen dignitatemq; suam tuentur felicius gloriosiusque. Petis ut tibi condonem, si quid errâris humani; nunquam detrectavi; facerem enim convitium humanitati; at indicare tamen salvâ modestiâ meâ & autoritate tuâ, si quid errâres, potui. Beatum Te si intelligis & amico sana monenti συμπεριφέρῃ! Ignoscimus errantibus, præsertim ἀεκούσιον: sed oportet hos errorem agnoscere. Tu verò cuilibet solœcismo, cujus argueris sine injuria, colorem quæris, & temerè excusas, quæ nullam excusationem merentur; Qua igitur fronte petis ignosci tibi, si nihil dum admisisse vis videri? Mera ἀσύστατα loqueris. Dic verò, mi NESTERE, quorsum evasura res esset, si ad omnia cæcutiremus, si nemo erranti monstraret viam? In beneficio reponere ego soleo doceri, castigarivé ob meritam noxam, ut loquitur Plautus; tu propterea stomacharis. Sed horum ἅλις, ὡς δρυός De nenidone ad tumulum N. amici mei desideratissimi ago tibi grátias; Exibit iste cum λόγῳ ἐπικηδείῳ propediem è bibliographejo nostrate, in quo hæret. Eras monendus de quodam prosodiaco errato; sed quia me ægrè perfers, ab aliis expectes pipulum licet. Fortasse etiam hic, non ut Poëta, sed ut Medicus egisti, (sic enim soles excusare παροράματα tua) & propterea, sed te solô arbitriô, licuit tibi leges prosodiæ migrare. Viden' quanta ex excusatione tua, qua de supra, absurda, pullulent, si vel semel admittatur: Ita scil. nihil erit tàm falsum tàm ineptum cui non sit parata defensio: Quò verò candor me meus trahit? Tu, mi NESTERE, benè longumq; V. ac S. Scrib. Altenb. 6. Sept. 1648.

Tui studiosiss.

Reinesius D.

P. S.

Cum obsignassem has ad Te, mi NESTERE, incidi in Eusebium de Præparat. Evangelica relego, in similem ubi μύριοι pro sexcentis seu multis ponuntur, locum. Ita verò iste l. 15. c. 32. Ταῦτα πάντα διαμυρίων τοῖς φιλοσόφοις κατεσκευασμένα: *quæ ita reddidit Franc. Vigerus Soc. Jesu: Hæc omnia sexcentis Philosophorum Disputationibus agitata: quod idem est ac si dixisset, multis Phil. Disp. agit. Adsentieris igitur mihi, spero; quod de verbis Galeni scripsi. In ῥήσει ejus Græca erit vel ἑξακοσίως, vel μυρίως.*

EPI-

EPISTOLA XLVII.

Salutem!

Mi CLARISSIME NESTERE.

ADſurgis igitur poſt inutilem cunctationem & contradictionem fruſtraneam Veritati? hac enim nitebatur narratio mea; non ſoleo cuiquam fumum vendere, nec extollere in majus quicquid ad illuſtrandam artem noſtram pertinet; quæ ipſa nihil minus admittit quàm hiſtrioniam. Proſper Martianus Prof. Romanus è Diſp. quadam de Chylificatione habita Jenæ an. 1645. à D. Mœbio mihi innotuit; annotationum ejus in Hipp. etiam, ni fallor, meminit Marcus Aurelius Severinus Med. & Chir. Neapolit. in ſuis ſcriptis: Ipſas videre mihi nondum contigit. Significaſis an εἰς ἑξηκοντάβιβλον Hippocratis, an in partes ejus quasdam ſit commentatus. Libri de morbis IV. & II. de muliebr. licet à doctiſſimis interpretibus P. Salio & Maur. Cordæo enarrati multi etiamnum continent obſcura & dignos vindice nodos; quos ſi ſolvit iſte, vir ſui nominis & verè Proſper mihi fuerit. Senſus eorum, quæ ex ejus comm. mihi deſcripſiſti, hic videtur eſſe: ſemen ut ſit prolificum non accipere à teſtibus: hoc velle Ariſtotelem, & in hoc ſe ei conſentire; improbare verò uſum teſtium, quem iis adſignat Ariſtoteles, quemq; Galenus vehementer exagat 1. de Sem. c. 15. In utroq; me habet ὁμόψηφον; in reliquis ſemen decidi ab omnibus partibus corporis, & attrahi à teſtibus, & nutriri eo teſtes non item. Primum poſt Democritum Empedoclem aliosq; etiam Hippocrates tenuit; hoc enim volunt ejus verba, ſemen circa unamquamq; corporis particulam redundare vel ut excrementum ultimum alimenti: ſed rejicitur ab Ariſtotele 1. de gen. 17. & 18. & ſequuntur hunc anatomici exercitatiores omnes: nimirum ex ipſo vaſorum præparantium, quorum unum à vena cava, alterum à ſiniſtra emulgente pullulat, exortu adparet, non ſanguinem illum qui ultimò partibus allapſus eſt, ſed eum qualis in vena cava continetur & partes nutrire aptus eſt adſumi, retineri, alterari & rudem ſeminis formam accipere à præparantibus. Alterum ſemen à teſtibus attrahi eſt contra propriam ipſius hypotheſin: quomodo enim trahent è vena cava, cum non continuentur cum eâ, ne quidem per vaſa præparantia; hæc enim non cum teſtibus, ſed cum deferentibus communicare ipſe adſtruit. Tertium ſemine nutriri teſtes tàm falſum eſt quàm ventriculum ali chylo: quod paradoxon tamen defendit Hier. ab Aquap. meritò proptereà ab aliis, etiam diſci-

pulis suis, desertus: adi Asellium de ven. lact. c. 21. Hofm. tr. de liene c. 21. comm. ad lib. de usu part. no. 200. & 259. Et cui bono essent vasa per substantiam testium glandulosam dispersa plurima, si nutrirentur à semine quod ipsi sibi confecerunt? quo argumento utitur Sennertus ut à ventriculo removeat nutritionem chylosa substantia factam, quam adferunt nonnulli, inprimis Cæsalp. l. 7. spec. art. med. c. 1. & ex parte Avic. & Fallopius: (V. Bauhin. l. 1. anat. Riolan. l. 2. c. 20. inprimis Laurent. l. 6. qu. 20.) Venæ quas ventriculus accipit à portæ venæ, & arteriæ quas à Cæliaca, in ruborem dant illos qui ventriculum chylo volunt nutriri, inquit Hofm. l. 2. Instit. c. 30. §. 8. Ego similiter: vasa quæ testium substantiam perreptant, confundunt illos qui testes semine nutriri putant. Verba Legis Mosaicæ simpliciter adplicabas Medicæ rustici nostri: aiebas enim pudendum esse quod vulnus in genitalibus viri tractârit fœmina, cum Moses fœminæ genitalia alterius viri in duello corripienti pœnam constituerit manus amputationem: quid apertius quàm te è verbis Mosis argumentari contra Medicam? Injustè autem istud Te fecisse agnosces tandem si cogitaveris Mosen de contrectatione vel violenta, quæ damnum vasi inferre posset, vel è libidine profectâ loqui: non intellexisse eam quæ vel casu vel salutis hominis causa fieret. Certè à finibus modificantur omnes actiones: unaq; & eadem pro diversitate intenti finis vel culpam incurrit vel meretur laudem. Ego nostram, quòd benè homini misero, cui aliud consilium non erat, fecerit, sive inspexerit solùm, sive attrectaverit adfecta loca (quod juxtà incertum est) nihil admisisse contrà pudorem matronalem, multò minus incurrisse aliquam pœnam existimo; si Tibi nihilominus videtur aliud sis sanè ἀπάνθρωπος ὁ Δράκων, cujus leges ob asperitatem sanguine non atramento scriptas ajebat Demades.


Conatum tuum de asserenda αἱμοῤῥήσει è venis hæmorrh. in Pastore nostro refutant non tantùm ea quæ nuper dicebam, maximè quantitas excreti & modus excretionis: sed inprimis quæ intereà evenerunt. Ab eo enim tempore quod nuper significabam, ex intervallo subinde fluunt ipsi hæmorrhoides, justa copia, sine ullo symptomate molesto, plerunq; per biduum; & recrudüere tamen dolores flanci sinistri, uti referebat uxor ejus die Saturni 10. Sept. quibus etiam medicamenta opponere opus fuit; addebat, ante triduum semel, cætera sat sanum & inoffensa valetudine minxisse urinas loturæ carnium similes; iis supervenisse dolores dictos: adferebat etiam congelatum sive è carne, sive quod ego puto è sanguine crassiore concreto constantem grumulum seu glebulam pisi majoris quantitate;

ea cum urinis processerat fabæ magnitudine, mollis & lubrica primum: tum ab aëre externo indurata paulum & contractior.

De aloë pergis philosophari; sed infeliciter; Quis Te docuit aloën esse inter electivè purgantia & evacuare trahendo? Ais enim humores acres & bilosos è remotis partibus ad vesicam deducere; nemo sanorum medicorum nisi in classe τῶν ἐκκοπρωτικῶν aloën reponit; prævivit Galenus l. 6. de simpl. med. fac. Mesue de ea; Est de tardè solutionem facientibus, & sua operatio non multum extenditur in corpore. Quare nihili est tuum illud φιλοσόφημα. Si hæmorrhoides reserat sumta aloë, quod fateris, cur ei cui fluere debent, cui cum fluxissent anteà restitant præter naturam, absente eô quicquid ejus usum prohibere posset, exhibere nolis? Eo ipso enim quod non fluentes revocat, avertet derivatum ab iis ad vias urinæ sanguinem, non quod tu times eò deducet; nam & hoc tuum est dogma, aloën humores ad vesicam deducere, & novam ideò circà doctrinam de simplicium facultatibus hæresin condis. Quod autem non conducit hæmorrhoidas patientibus fit quia ἀναστομωτικὴ est h. e. quia reserat oscula venarum, cum adfectus indicet earum occlusionem, non quia, ut tute reris, humores deducit ad venas ani; quid quod vis ejus qua hæmorrhoidibus & ano nocere scribitur lotione corrigi solet & additione mollificantium, bdellii, tragacanthi & similium? Sed horum desino. B. V. & S. d. 30. Aug. 1648.

Tuus

Reinesius D.



EPISTOLA XLVIII.

CLARISSIME NESTERE.

HElmontius Brabantus, quippe natus Bruxellis, non Batavus est, ut putas: Ejus ante 20. annos meminit Heinr. ab Heer in observat. sed empiricum indigitat: diu vixit Coloniæ, Opuscula quæ Coloniæ an. 1644. excusa sunt, videntur esse quantivis precii mihi, Imperfectionem artis medicæ, hoc præsertim seculo, sine adminiculis Chemiæ consideratæ, nemo non intelligit; nemo etiam ignorat multa in scholis Galenicis tradi dogmata Juventuti quæ vel ad praxin nihil conferant; Imò deploramus tan-

dem cum agnoſcere fucum à Præceptoribus nobis factum incipimus infelicitatem noſtram plerique; & hinc quæ ipſe initio Tumuli peſtis de ſuis in Academia Lovanienſi ſtudiis & mutato vitæ genere narrat digna ſunt quæ tironibus artis medicæ omnibus maturè innoteſcant. Saltem majori modeſtia, præſertim quando medicis Cathedralicis, quorum intemperies non excuſem planè, inequitat (quod unicum ſibi videtur habere propoſitum) verum tradidiſſet; & haberet adplauſores plures; nunc illa φορτικὰ σκώμματα, quibus ſuos libellos ſtipavit, animum malignum & in confuſionem deſpectumq; proximi unicè intentum arguunt & probantur nemini probo. Sunt etiam multa ejusmodi quæ cum principiis uſitatis & præceptis facilè conciliari poſſunt tanquam ſubordinata; & propterea omnia vetera uno quaſi ictu convellere poſſe præſumere temerarii hominis potiùs eſt quàm prudentis & communis boni ſeriò ſtudioſi. Satis etiam notæ ſunt ardelionum Paracelſicorum, τερθρόων, ſomniatorum, & Mirabiliariorum artes; promiſſorum nimirum vani ſunt pleriq; & cum inaudita præſtare poſſe videri velint, cum in rem ipſam ventum eſt vel infrà Galenicorum profectus ſubinde conſiſtunt, vel per mortes experimenta agentes cum morbis ipſos ægros jugulant: cum iſto genere an partem aliquam habeat Helmontius, an ſecus, judicent dicantq; qui hominem novêre propiùs Tungri Ebunones, Ubii, Brabanti, Flandri, Batavi, & alii per Galliam Belgicam eruditi, inprimis Lovanienſes & Leidenſes Medici: Fortaſſis nundinæ futuræ aliquid de ipſo, ſi non in ipſum, parturient; miraborque, ſi intra pulpita nihil de ejus nomine inſonuerit: Certè non debent ſcholæ ejusmodi θράσωνα ἢ πλειςονίκην ſilentio tramittere; neq; tamen faſtidioſè aſpernari, ſi quid ſalutare monuit. Eſt enim cuilibet homini ſua hora. Si ſubſtantiam quam ego pro ſulfure aëreo & cum pluviis demiſſo habeo, ruſticis veſtris habere pro polline abiegno placet, nihil id præjudicat veritati; neq; miror; oportet enim judicia vulgi & doctorum diſcrepare. Interdum verum vulgus videt, eſt ubi peccet. Catalogo biblioth. Elect. deſcribendo nolo TE ultrà fatigari. Sepoſui eam cogitationem prorſus; cùm quod tot in re ambagis videam, tum quod tanti non ſit. De iis ſaltem, quæ adpellas Suidéa, plenius me edoce; deſcribe autem mihi verba initialia aliquot, itemq; clauſulam; adſignatô quot paginas ea compleant. Optimè Vale, mi NESTERE, & Salve

à Tuo

Scr. Altenb. 16. Sept. 1648.

REINESIO D.

EPI-

EPISTOLA XLIX.

S. Pl.

CLARISSIME NESTERE,

Nihil adeò continebant nuperrimæ Tuæ, de quo respondere me Tibi oporteret; officii igitur tantùm & salutationis causa has huic dedi. Saltim hoc *formulas Cylindraceas* quas mictas vidisse ais, esse mihi nebulam pictam in pariete. Nosse enim debebas formationem vocabulorum in ACEUS designare ut plurimum materiam & colorem; sic oleaceus, formaceus, polentaceus, furfuraceus, limaceus, porraceus, coriaceus, scorpiaceus, æraceus, testaceus: Tu verò præter Grammaticorum regulas & contra analogiæ rationem etiam cum figuram significare vis hac formatione abuteris, cum retinere posses Græcum κυλινδρώδεις vel Latinum Cylindriformes adhibere. Si dixisses Cylindratas Gazæ autoritate qui hoc vocabulum finxit in 8. hist. de plant. Theophrasti, aliqua tueri te posses; & te intelligerent docti: fortasse Calepinum nobis aucturus es, audaci atq; inutili vocabuli fictione. Ast ignosce joco. De re ipsa, excreto insolente quid sentiam exponam cum reliqua istius ægroti per Te rescivero; sine quibus inaniter fatigabor ariolando. De Helmontio judicium nondum muto: Erro est: Si tibi in multis satisfacit, cur id curent alii, quibus non satisfacit, nisi cum se calumniatorem prodit? in hoc enim artificio mirum quàm excellit, plurimùm valet & facit plusquam satis. Libros Variarum si X. futuros minimùm scripsi Tibi privatim an. 37. anno autem 40. publicavi Tres priores, facilè Tibi etiam dormitanti fuit colligere me consilium mutasse & daturum sex publicè profiteri. Est autem in talibus hominis voluntas maximè ambulatoria nec præjudicat constantiæ ejus quidquam: & dic mihi, ὦ' γαθὲ, cujus tandem interest *de Cute* quid faciat ILLE vel ISTE sua? Poteram ego libros quos X. futuros scripseram semel, uno volumine comprehensos non numeratos edere, & repræsentarem nihilominus uno eo illos decem. Quare pilam quam in me jacere minaris, inconsultò te cepisse nunc intelligis, & fuisse adeò simplicem ut Epistolæ meæ verba è titulo Variarum mearum interpretari nequiveris, (semper autem priora à posterioribus capiunt interpretationem) vel tàm iniquum ut cum posses nolles. Benè Vale, mi NESTERE, & Suidéa è vestrate Bibliotheca, si potes, mihi cura. Scr. Altenb. Kal. Nov. an. 1648.

T. amantissimus

REINESIUS D.

EPISTOLA L.

Sal. atq; Off.

CLARISSIME NESTERE.

NOndum finis narrationis de morbo Paſtoris Coſmani. Ab eo tempore, quo ſcribebam, ſatis benè habuit, habetque: Die verò Lunæ 2. Oct. horis pomerid. cum urinas reddidiſſet quaſi loturam carnis, mox cylindrum ſanguinis concreti floridi, dimidio minorem nupero concremento excluſit, & urinas immediatè proximas exactè quoad omnia naturales; ita die 3. ad me viſens Ipſe: tantùm de in ſlanco ſiniſtro verſus ſpinam ἀφυσικῷ τινὶ, ſive παρὰ φύσιν renitentia quadam & ad exſpiratum inſpiratumvé contentiorem gravativi dolorculi ſenſu queritur. Renem læſum eſſe inſigniter & ejus παρέγχυμα minari corruptionem apud me non eſt dubium; huic malo quî provideam delibero: ſubinde etiam ruminor quod de varice ſiniſtri teſtis cognovi; an fortaſse etiam huic imputari poſſit excreti hoc genus. Hiſtoria vermis à Schleinitzio micti perfectius cognoſcere aveo: an Medici non ſecuerunt cadaver? certè pulcerrima ea occaſio fuit rimandi ejusmodi ferarum interanearum cubilia & origines, quæ alias ſatis ſunt obſcuræ. Hauſerat iſte meus ſuopte conſilio aliquoties, cubitum iturus, ſpiritum vini infuſionis baccar. juniperi: an hinc θρομβώσεως hujus cauſa peti poteſt? memini enim ab eſu crebriore ἀρκευθίδων urinas cruentas proceſſiſſe nonnullis; vidiſſeq; idem teſtatur Carolus Piſo: quod alii allii eſui largiori imputant.

Helmontium talem eſſe qualem deſcripſi Tibi, ὑψαγόραν καὶ λοίδορον, vel ex eo intelligere nunc potes, quod aſciten à renum vitio *Ignotum*, cæteris nimirum medicis, à ſe autem ſolo, nimirum ἀετῷ ἐν νεφέλαις, viſum cognitum gloriari præſumſit. Renes enim in officio ſegnes, etiam ſalvo hepate lienevé, tàm calidum quàm frigidum aſciten cauſari dudum eſt cum ex obſervat. Schenkianis didicimus, idemq; præter Platerum, Car. Piſonem, Sennertum adſtruxit Hofmannus l. 3. Inſtit. c. 67. 68. & Pathol. parvæ c. 22. §. 5. Quo ſi neſcivit Helmontius, inſcitiam: ſin diſſimulavit, malitiam ſuam prodidit. Nihil itaq; vidit hîc quidem παραπλὼψ iſte quod non vidiſſent alii multò oculatiores Philoſopho per ignem. Marmora Arundelliana de manu Nobiliſs. Dn. à Frieſen venerunt in tempore; fervet enim nunc opus, cum à reliquis gravioribus curis feriari aliquà licet. Digeſſi quas nactus ſum Grutero vel præteritas vel non viſas, quaſi bis mille, in

Claſſes

Classes XX. similiter Gruterianis: Commentarius qui intra classem primam (hæc enim inprimis copiosa est & reconditæ eruditionis) mihi adhuc consistit, centum excedit quaterniones: Index erit capitum XXIV. ipsiq; operi amplitudine æqualis: an suffecturus sim edolando operi θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. Ibo, quò potero. Postulant quidam solas inscriptiones edi nunc; post commentarium; sed nolo ego deludere lectorem, uti fecit Gruterus qui quas dedit nec emendavit satis, nec explicavit: cui autem bono legi antiqua repolta ista & non intelligi, vel incorrecta legi. Variarum libri tres posteriores (sex enim promisi, non decem, uti mihi adfingis) confecti extant in forulis, & potuisses coràm inspicere, si desiderasses: In iis multa medica sunt & adversus Barthium plurima; luctabuntur autem cum blattis dum idoneus adpareat Typographus. Neq; enim licet, neq; expedit privato sumtu eos extrudere ut priores; è quibus, cum eorum editio trecentis florenis me emunxerit, ne teruncius quidem ad me rediit. Pro Filio nisi Tu me rogare destiteris, ego incipiam negare; & quidem licitè negantur, quæ exhibere nequeas: agnoscis candorem meum cui nihil magis repugnat, quàm vanè promittere quod præstare haud possim. Suidéa, quæ ajebas, expecto, uti & picturas quas filium redhibiturum esse scribebas: hic autem post carecta latet & nusquam comparent istæ. Benè V. & S. mi NESTERE. Altenburgo 5. Oct. an. 1648. quo felix de constituta tandem Monasterii inter partes pace nuncium ad nos venit.

P. S. *T. Excell. studiosiss.*

Amplifs. Dn. Wildvogelio vicem reddo peramicæ salutationis.

Th. Reinesius D.

EPISTOLA LI.

S. Pl.

Mi CARISSIME NESTERE.

PArciùs ista mihi tamen objicienda memento. Si meæ, in quibus errantem Te liberè & sine ulla indignatione moneo, quod amici officium est, cholericæ sunt, Tuæ, quibus quàm impatienter feras castigatorem prodis & muliebriter indignaris, Te atrâ bile vexari planum faciunt. Ecquis autem nostrûm graviùs laborat? Non Cholera faciebat ut Te repre-

prehenderem & joco adspergerem prætereà: sed amor Veri & candor mihi congenitus; quem si in me ferre non potes, jam ædes quantum ad me habebis liberas: non obtrudo Tibi meorum quidquam: sed nec tamen obtinebis, ut rationibus tuis acclamem ὄυα καὶ θαυμαςῶς! De Calvisio Tibi dico; fidejussor tuus fidejussore indiget, juxta Ebræorum proverbium; eiq; plus nemo credit, quàm sibi credi debere legitimè probaverit. Magister iste trivialis non est Dictator, neq; ea autoritate in Comitiis Literatorum, qua civitatem Romanam vocabulo malè ficto dare possit, testimonium autoris classici mille Calvisiis potiùs mihi erit; id producito, si potes: & adquiescam. De Helmontio quæ scripsi ex intervallo, ea non pugnant inter se: si Tibi videntur pugnare, acumen ingenii tui facit, qui plerunq; tria vides, cùm tantùm duo sint: Nobis non licet esse tàm beatis. Colligas per me licet ex isto sterquilinio uniones; sed hoc tamen scio Te manus permerdatas relaturum. Viro, quem calculos, progressis formulis cylindraceis minxisse ais, læsum fuisse vesicæ musculum ex attritione, immane paradoxum est, ne dicam absurdum; ecquod signum mihi dare potes solutæ continuitatis, ut sanguinem fundere posset, in musculo? Tantam læsionem necessariò sequeretur impotentia continendi urinam seu mictio involuntaria: quæ quia non aderat, quomodo adeò insigniter læsum fuisse musculum dicere audes? multò probabilius est è renibus vel ureteribus præcipitatas fuisse tuas cylindraceas formulas. Suidéa vestra recipis, nulli usui sunt ob nimiam brevitatem. Amplifs. Dn. Wildvogelio, cujus interventu factum esse vides, ut ea mittere mihi posses, plurimam à me salutem. Optimè Vale, mi CL. NESTERE, & me ama. Scr. Altenburgo 28. Nov. an. 1648.

Tuus

Reinesius D.

EPISTOLA LII.

CLARISSIME NESTERE.


QUid die 10. Sept. de mariti sui valetudine ad me pertulerit conjunx, habuisti in nuperrimis literis; præscripseram tum pulverem è Tartaro Vitriolato, troch. de alkek. s. opio, g. lacca, mag. ocul. cancr & succin. in XII. partes dividendum, & quotidiè unam sumendam cum brodio; ad dolores atrocis,

atrocifs. flanci finiftri mitigandos pingued. cunicul. c. ol. rofar. & maftich. adhibere jufferam. Paruit: remiferunt inter horas 24. ab acumine fuo dolores, urinæ, quas quotidiè obfervare præceperam, præcefsêre fine impedimento naturales. Die verò 16. hujus, quo manè quintam pulveris dofin forbuerat, ipfo meridie cum in areâ ædium parochialium deambulans micturiret & fecesfiffet in cubiculum, fenfit urinas morari nonnihil; cohibito igitur paulum egerendi nisû tandem repetiit, & unà fubftantiam carneam teretem oblongam, cylindri forma, five vermem adpellare licet, cujus picturam vides, protrufit è canali penis, quem mox urinæ inftar loturæ carnis, craffæ & copiofæ fecutæ funt. Eum odore virosô & gravi, qualem lotium vetuftate corruptum exhalat, intrà horam, poftquam per vias mictuales emiffus fuiffet mortuus, & uti adparet mutilus altero extremo: Ipfe mihi attulit fpei plenus bonæ, & ftupore tamen quodam, quòd tàm fœdum animal hactenus intrà fe aluiffet, tactus. Juffi pergeret uti pulvere & quid finguli mictus laturi fint accuratè obfervare. Picturæ feu turundæ carneæ, five feræ longitudinem, craffitiem & colorem è nigro viridantem feu luridum cum maculis latis antris duabus; item roftrum feu corniculum colore gilvo feu figulino crenatum five fcabrum hirtumq; exhibet; in incifa nullam capacitatem deprehendere potui, fed conftare è fibrofo mucofoq; tabidam carnem referente concremento. Hæc beftiola, fi fuit, in rene ftabulans quin αἱμόῤῥοιαν, qualem Tibi defcripfi nuper, quovis fcabro acutove calculo citius, perterebrato nimirum vafe infigni, caufari potuerit apud me non habet dubium. Si quid mali præterea reni inde vel ureteri illatum eft dies docebit; neq; enim illæfum exiftere vel hunc vel illum imaginari poffum. In obfervationibus Schenckianis l. 3. c. de vermib. veficæ D. Vifcerus Med. Norberg. vermem calami fcriptorii craffitudine, longitudine digiti minimi mingi vidit quam pariter dolores hypochondrii finiftri diuturni & ex excretio fanguinis meri fuerat prægreffa, fed vivum & integrum; unde de effentia ejus certiùs pronunciari potuit; fimiles Tulpius l. 2. obf. 49. 50. 51. & alii apud Foreftum l. 25. obf. 34. & Senn. Pr. l. 3. p. 8. f. 1. c. 2. quod hîc fecus eft; ut tàm de concremento ex humore excrementitio vel putrefcente alio in renis vel ureteris tubulo à natura in fimulacrum vermis formato, quàm de animali, quod dum viveret rofionibus in flanco finiftro adeò moleftum effet hofpiti fuo, probabiliter fufpicari & adfirmare liceat intereà, dum fcientia certior emergat.

Veniet intra paucos dies ad Vos civis Weidanus & Pharmacopœus in patrio opido Valerius Sontag / aliquando nostrâs, questum de injuria quam ipsi inturbando professionem inferre minatur ardelio quidam, & ipse φαρμακοποιησιν profitens. Eum ut benignè audire tum velis, ejusq; negotium Dnn. Consiliariis recommendare maximoperè abs Te contendo. Vir est probus artisq; suæ benè gnarus; sed planè redactus ad incitas; sanè dignus meliore fortuna & commiseratione Patronorum. Indignum etiam est apum victu & laboribus frui inertes fucos; talem petit ipse à suis præsepibus arceri autoritate magistratus supremi. Optimè V. & S. Altenb. 18. Sept. an. 1648.

Tui observantiss.
amantiss.

REINESIUS D.



EPISTOLA LIII.

CLARISSIME NESTERE.

IN enumeratione morborum Vesicæ, Symptomatumq; circa mictionem, & in digerendis eorum causis multò diligentiores fuisse video antiquos recentioribus; & meminêre igitur fluoris sanguinis è vesica Cælius Aurelianus l. 5. de chron. pass. c. 4. Aet. tetr. 3. serm. 3. c. 3. Paulus l. 3. c. 45. αἱμοῤῥαγίαν νεφρῶν vocat à loco adfecto, similem ei quæ ex hæmorrhoidibus. Expressè verò à suppressione hæmorrhoidum mictum sanguineum oriri docet Nicolus serm. 5. tract. 10. c. 19. & Savonarola Pr. tr. 6. c. 19. rubr. 19. Etiam Alex. Benedictus l. 24. c. 22. & Duretus schol. in l. 1. Holler. de morb. intern. c. 48. à menstruorum. At quò minus ob suppressas eas primariò & proximè in hunc adfectum incidisse Pastorem istum existimo, facit modus excretionis & qualitas qualitasvé excreti: factus nimirum sanguinis mictus fuit confertim, unô impetu, & largissimè, sanguinis crassi, floridi, meri: hæmorrhois autem fundit exiguum, sensim, stillatim, & intervallis quibusdam, ut fœminis menses decurrere solent, (sæpè etiam sordidum & cœnulentum, ammixtis humoribus cænosis aliis) qui non repentè à prima eruptione desinunt, ut in nostro αἱμουρήσεις cepit subitò & desiit. Renibus autem largam sanguinis profusionem sive κατὰ περίοδον ad curandam plenitudinem totius & abundantiam ejus minuendam, sive ob

ob privatum eorum morbum, solutam unitatem eveniat, tribuit Galenus comm. in aph. 78. s. 4. & interpretes omninò omnes ideò, quòd venæ in iis magnæ sint & quòd ad eas sanguis plurimus veniat cum æqualitate, ex Avic. Nicolus l. d. & Mercur. Pract. l. 3. c. 31. Duretus l. d. Τὸ ἀπὸ ταυτομάτου, i. e. sponte, Hippocratis exponit ibi Gal. per repentè, univer-
„ sim & copiosè, qui modi in excretione nostri contigerunt. Novum
„ planè & notabile, eòq; dignum quod tecum communicarem duxi esse,
„ quod apud Cælium l. d. legi, solere sicut in podice vel fœminarum sinu
„ aut matricis collo etiam in vesica hæmorrhoides generari, quæ fluorem
„ sanguinis præstent quibusdam intervallis variatum; quod oporteat ad-
„ prehendere prudentem, cum non coadcervata primò fuerit effusio, sed
„ augumentis quibusdam promota, interjectis defectionibus, ac sæpè retento sanguine doloris pubetenus admonitione vexante (ita lego pro quod elidère *cessante*: ratio hujus corruptelæ petenda est è modo scribendi veterum librariorum, qui loco X. semper ponebant S. vel ss. ut ostendo in
„ Var. l. 3. c. ult. quem non intellexêre editores) cum tensione inguinum
„ & gravedine clunium i. e. iliorum, vel renum (testes si adpellat hic scri-
„ ptor) consensu: & cum sanguis eruperit, supradictorum (symptomatum)
„ relaxatione (ita lego pro relatione) sequente. Est ipsissimus casus noster, si modum excretionis excipias, quæ non fuit paulatim aucta (ità enim intelligo ῥῆσιν obscuram autoris intricatiùs scribentis) ut in Cœliano isto, sed statim quasi momento prorupit & cessavit, doloribus simul in hypogastrio è vestigio remittentibus; nimirum vena ob copiam, quæ gravabat ἀναστομωμένη iterum connivente. In periodicis enim hæmorrhagiis, quas Natura suo bono instituit, ad quas etiam nostram refero, non rumpuntur vasa sed hiant, vel ut loquitur Cælius, deosculantur (ἀναστομοῦνται) dum ea opus suum peregerit. Sed & hoc, mi NESTERE; Prodeuntis ex ureteribus sanguinis signum communiter statuitur, quòd paucus excernatur. At vidisse ait G. Steeghius l. 8. Pract. c. 41. cui in dextro inguine excitato per intervalla tumore & dolore (uti & in nostro) multus sanguis crassus per urinæ ductum prodibat ab uretere, non secus ac solet à rene. Refert etiam H. Saxonia l. 3. pract. c. 40. in nobili Patavino per quinq; annos ex intervallo sanguinem multum, sponte & subitò, ante urinam, ex apertis venis colli vesicæ vacuatum fuisse; & hac observatione refutat argumentantes à copioso sanguine excreto ad adfectos renes. Singularia ista sunt & Anatomicorum ingenia & diligentiam excitare debent, ut curiosiùs adq; minutiùs minimas ureterum & vesicæ conformationem, itemq; hæmorrhoi-

dum cum veſicæ venis communionem, inquirant: hinc enim fortaſse doceremur, quî venæ veſicæ colli tantam ſanguinis copiam vel recipere à partibus ſuperioribus vel congerere poſſint. Naturæ quidem, cum pro conſervatione ſui molitur vel depoſitiones vel vacuationes ſanguinis, omnia, puto, pervia ſunt, & collo veſicæ majuſculas etiam venas, quæ largiùs ſanguinem fundere poſſint & ſupplere ita vicem hæmorrhoidum, in nonnullis implantari non habeam pro paradoxo. Ex hiſce de caſu noſtro judicari poſſe puto; neq; enim quidquam tanquam penitus exploratum certumq; adſevero, dum & plenius hominem noſcam, & quid cum ipſo fiat in poſterum reſciſcere datum mihi fuerit. Ero tum in omnes occaſiones intentus veritatem nudam prehendendi. Optimè, mi optime NESTERE, Vale & Salve cum Tuis. Altenb. 22. Octobr. An. 1648.

Tuus

REINESIUS D.

P. S.

Saluta amabò, mi ſuaviſs. NESTERE, ubi fert occaſio Ampliſs. noſtrum Wildvogelium, quo cum ut quamprimum ὑγίεια redeat in gratiam, eſt quod voveo intimè.

EPISTOLA LIV.

Sal. & Off.

CLARISSIME NESTERE.

NOn erat, quòd admodum referret ſcribere; nolui tamen hanc horam alioquin perituram ob δυσαρέστησιν & languorculum neſcio quem, aliter prodigere, quàm ſi animum ad officia quævis paratiſſimum Vobis & deditiſſimum nomini Veſtro teſtificarer epiſtolis quamvis breviſſimo & fortaſſis πρὸς τὸν ἐν χειμῶνι καὶ τάλῃ τῶν πραγμάτων ὄντα importuno. Ἀλλὰ καὶ τὰ μικρὰ γράμματα σύμβολα τῆς μεγάλης διαθέσεως πολλοῦ ἄξια ποιεῖσθαι, didici è Baſilio. Facio ut intelligatis mihi curæ eſſe & animo ſemper obverſari tàm deſideria quàm faſtidia veſtra circa Collegæ deſignationem; tàm enim contingere poteſt quod averſamini, quàm quod optatis, quod ſatis perſpiciam πρὸς τὸν μείζονα ἐυεπιφόρως ἔχειν pleroſque; & in hunc finem inſinuari audio undiq; corrogata teſtimonia, quibus reddatur

com-

commendabilior, etiam tirunculorum, παρ' ὧν ἄνω καὶ κάτω θαυμάζεσθαι φασὶν; Præcipuè non vana ſuſpicio eſt, eum qui ſibi generum hunc vellet, frigidiùs laudare alios, quamvis digniores, ut ſuus hic poſſit ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχος ἔμμεναι ἄλλων. Iſtæ ſunt artes fucati hujus ſeculi & nundinationes, quî privato cujusq; benè ſit, ſolliciti plus ſatis: quicquid fiat publico, non admodum cauti. De N. ſcio ſermones quoq; fuiſſe inter Veſtrates; ſcriptasq; in eam rem commendatitias ad τὸν δεῖνα; ſed noſtrates muſſant: unde quid futurum ſit coominari licet. Non admiror, ſi pater utrem quantum poteſt inflat de filio; προσπάθεια οὐκ ὀξυδερκεῖ: non videt quantum deſit ei, cui nihil ad ſummam perfectionem deeſſe ſuaviter ſibi fingit. Quas linguas calleat, nec ſcio, nec ſcire deſiderem; In Latina frigidus affectator eſt; In Græca etiam ridiculus: in cæteris ſarcinator optimus; & hoc publicè occantatum fuiſſe homini, cum de N. ſe venditaret, ex ipſo Reſpondente ejus cognovi, qui adfirmabat ſeriò, quendam opponentium, qui ab aliis fuiſſet ſubornatus, per ſingulas paginas plagii eum ſumma cum παῤῥησίᾳ accuſaſſe & conviciſſe. N. ἡδυλογίαι non ſunt tanti ut adtendi abs Te mereantur; ea ab optimo quidem animo profectæ, nimirum ejus qui benevolentiam inter vos ſarciri cuperet; ſed reverà ex ignorantia. De N. cur nihil reſpondiſtis? an & hunc collegam nolletis? Judicium de eo meum, quod è nuperis ſcitis, nolim præjudicare veſtro; interim perſuaſus ſum, me præter verum nihil ſcripſiſſe. Quam libenter vellem invitationi ad convivium acceſſorium veſtræ morem gerere, & frontem hanc tot adverſis, amaris, triſtibus & ſeriis caperatam ſemel inter tot illuſtria & amica capita exporrigere! Sed fatum profeſſionis meæ, graves officii curæ, omnem vitæ libertatem, & ſi quæ eſt dulcedinem, immò uſum ejus omnem mihi intervertit. Et quis ferè auſit hac tempeſtate miſerabili vel honeſtiſſimi gaudii captare occaſionem, id delibare, eiq; indulgere? Certè mihi minimè omnium competere id videtur. Quare ut me excuſatum habeatis, obnixè rogo. Rev. pl. Dn. D. Wellero, ut & Dnn. Collegis veſtris occaſione συσσιτίου, quod vobis ſuaviter decurrere & expetere ex animo opto, plurimam à me ſalutem dicetis, niſi grave eſt hoc officium. Optimè Valete & Salvete. Altenb. d. 23. MaI. An. 1649.

Amantiſſim. V.

REINESIUS D.

EPISTOLA LV.

Sal. & Am.

Mi Cariſſime Lic. J. M. NESTERE.

DE honoribus & commodis tuis, quæ me ſemper, quà potui, curaſſe intelligere potuiſti ab eo, quo primam mei notitiam veniſti, tempore, Tibi gratulor: probo etiam propoſitum tuum, ambitum nimirum illum legitimum: qui ut feliciter Tibi procedat DEUM precabor ex animo. Pro honorifica compellatione, qua Diſputationis tuæ aliquot exemplaria nomini meo conſecrare voluiſti, habeo gratias, & refero munuſculo trium Ducatorum. Æſtimabis autem animum magis offerentis quàm ipſam. In ea nonnulla ſunt quæ aliter dicta ſcriptavé oportuit; ea verò Præſidis tui cenſuram ſubterfugiſſe miror; ſed fortaſse ἀετὸς ἐ θηρᾷ, μήθ' ὀρᾷ θρίπας. Quod th. 27. de quodam Dialectices Profeſſore ratum facere Diodorum Cronum narras, error eſt. Ille enim ipſe Dialectices Profeſſor, qui præ pudore expiravit, Diodorus fuit: quod è verbis Plinii l. VII. c. 53. planè percipere potuiſti. Eadem hiſtoria extat apud Diog Laërtium. Falſum etiam quod th. 89. de Livia Aug. vino Punico (niſi Sphalma fortaſsè ſit Typographicum) LXXXVI. vitæ annos acceptos ferente pariter è Plinio recitas. Ecquod enim vinum Punicum quod lectoribus tuis propinas? In Utopia, puto, provenire narraverunt tibi οἱ τερθρεῖς. Varia vinorum genera recenſent Galenus, Gariopontus, Al. Trallianus paſſim: Athenæus in 1: Theodorus noſter Diætâ c. 12. Plin. l. 14. Caſſiod. 4. Var. 4. & 12. Corippus l.3. alii: nemo Punicum agnovit audivitvé. Pucinum adpellaſſes, ſi è Plinio potiùs iſta quàm è lacunis neſcio cujus fabulatoris hauſiſſes. Eſt autem Pucinum Caſtellum Carnorum ſive Japidum in Venetia ad Timarum, tunc nobile: Iſte l. 3. c. 18. Noſtrates vinum illud Reinfall vocant. Mirabile humanæ miſeriæ & miſerabile luxationis femoris exemplum hodiè vidi in puero ruſtico 14. circiter annorum ex vicino pago, hìc jam decumbente, cui ex præcedentibus vehementiſſimis coxendicum doloribus, quos ob nimiam partium externarum hiberno tempore refrigerationem fortè contraxerat, utrumq; os femoris capitibus ſuis coxarum ſinibus excidit & luxatum eſt, dextrum nempe extrorſum & ſiniſtrum introrſum, unde factum ut non ſolum propter caloris nativi alimentiq; ob venarum & arteriarum compreſſionem defectum abolitamq; mem-

membrorum nutritionem utrumq; crus & femur contabuerint, ſed dextrum quoq; crus, eò quod femoris caput in locum altiorem exciderit, brevius redditum, ut calx terram attingere nequeat, ſiniſtrum contra, ſi cum altero conferatur, longius ſit, ambo verò ob ἀτροφίαν robore deſtituta omnem planè motum & uſum ad ſtandum incedendumq; amiſerint, ut humi deſidere natibusq; repere deinceps cogatur, ſicut Leibolfus ille, cujus mentionem feci in Variis meis l. 2. c. 18. Literas Cl. Dn. D. Cundiſii, de quibus ſcripſiſti, nondum accepi, ne ſis neſcius. Plura nunc non licet addere. Dn. Parentem tuum, ſi ad eum veneris, verbis meis quàm amiciſſimè ſaluta. V. & Salve

à Tuo

Altenb. 28. Jun. an. 1649.

REINESIO D.

EPISTOLA LVI.

Salutem & πᾶσαν πάσης ἐυκλεείας ἐπίῤῥοιαν!

Mi CARISSIME D. J. M. NESTERE.

Συγγνώμη τῷ ἀλγῦντι τὰ ἀλγῦντως φθέγξαθαι. Non vanæ ſunt querelæ Tuæ, ſcio, neq; ſimiles hominum μεμψιμοίρων καὶ ὀδυρτικῶν καὶ μικροττίων qui de re etiam leviſſima longos inſtituunt & muliebres queſtus, in pulicis quoq; morſu Herculem invocantes, optimè intelligo, quantis difficultatibus implicatus ſis, & quid animum tuum angat, varièq; diſtrahat; hoc ſaltem vitii in ſe habent eæ, quòd & feræ ſint, & quibus verè deſit remedium. Tempus πανδαμάτωρ mitigabit aſpera iſta & animus etiam ad ingrata æquus, quem Patientiam vocamus. Noſti iſtud Palladæ ſanè ſcitiſſimum:

> Εἰ τὸ φερόν σε φέρει, φέρε καὶ φέρυ: εἰ δ᾽ ἀγανακτεῖς
> καὶ σαυτὸν λοπεῖς καὶ τὸ φερόνσε φέρει.

Et alterum iſtud ſapientiſſimi poſt Socratem Epicteti; Ὅςις δ᾽ ἀνάγκῃ συγκεχώρηκε καλῶς, σοφὸς καὶ τὰ θεῖα ἐπίςαται. Idem Sapientem ſuum ſic inſtituit, ut in rebus liberis & ſui juris, τοῖς ἐφ᾽ ἑαυτῷ τοῖς ἀκωλύτοις bonum & commodum ſuum collocet: fore enim ſic ut ſit ἐλέυθερος, ἔυρυς, ἐυδαίμων, ἀβλαβὴς, μεγαλόφρων, ἐυσεβὴς, χάειν ἔχων ὑπὲρ πάντων τῷ θεῷ, μηδαμῦ μεμφόμενος μηδενὶ τῶν ἐφ᾽ ἀυτῷ γινομένων, μηδὲν ἐγκαλῶν: Talis

qui

qui ſit cur molliter ſuaviterq; vivere, quicquid accidere poſſit æquo animo expectantem; ea verò quæ jam acciderunt, fortiter dolorantem, dicentemq; ſuper omnibus: εἰ ταύτῃ τῷ θεῷ φίλον, ταύτῃ γενέσθω. Non autem iſta ignobilis & humilis animi lamenta: τάλας ἐγὼ! ἐπὶ ταῦτα μου τὰς πολιὰς ἐτήρησα; edentem. Conſilium autem tuum, quomodo hoc nodô expediri poſſe cogites, nondum equidem probare queo. Videtur eſſe præcipitis, vel certè deſperabundi alicujus. Fortaſſe ſumma rei perplexitas tale ſugeſſit; in qua ſi Fata viam invenerint, quod futurum eſſe ſperamus, compones æſtum iſtum animi tui, & ſenties aliter: Id ut ab Opt. Max. Tibi contingat, ex animo precor. Miror autem te, ut ſubindicas, iterum mutaturum locum. Es, ita audio, Schnebergæ inter cognatos & adfines, & jamdudum in aliqua fortaſſe apud vicinos famâ; ſi veneris aliô, jam paranda prius erunt ea, quæ jam tum parata habes. Qui Rebuspubl. tantùm & civibus inſervitis, non per eas difficultates inceditis, per quas nos qui aularum ſimul intemperies quotidiè perſentimus & moleſtias infinitas devorare cogimur: quæ & ipſæ ita me attribuêre, ut aulæ hoſce moros mores & vitam turbulentam jamdudum deteſtari didicerim, & ſi ita fieri vellet Clementiſs. DEUS inter cives quàm aulæ turbines, in malacia Reip. alicujus tranquillioris degere exoptem. Pereunt mihi bonæ horæ quàmplurimæ aulicâ hac ſervitute: quas absq; hac ſi eſſet, curis literariis conſecrarem & bono publico juventutis. Si vel maximè de aulis optimè quis hodiè mereatur, ἔνδει χάρις; & ſi vel ſemel noluerit adſentari, jam benefactorum priorum oblivio, jam ingratiæ, jam injuriæ præſtò ſunt: quas quando ſuperiores intentant, inferiores & viliſſimorum mancipiorum manipulus ingerent. In Rep. verò prudentum plus eſt, quàm judicia contra vulgus imperitum quem defendant; & adſentationum minus, & libertatis plurimum. Tute, mi D. NESTERE, videris ne aurea ferreis commutes; Ego ægrè te cariturus ſum, ſi è vicinia hac diſcedes: Fac tamen, quid ſuper hac re animi Tibi ſit, & quid certò ſtatueris, proximè reſciſcam, & non deero Tibi conſilio meo. Plinii ῥῆσις l. 28. c. 1. de qua quæris, ſatis apud me aperta eſt; ac ſenſum ejus rectè, præterquam quod de Epilepſia ſcribis, adſecutus es, nihil turbandum: Generaliter ad alia prodeſſe oſſa cruciati è capite, ad alia hominis amici atq; familiaris adſerit è Democriti ſententia: quod absq; dubio vanitatis & perſuaſionis magicæ eſt, & ad ματαιοτεχνίαν Ægyptiorum, de qua multa apud Cl. Conringium, quem antehac Tibi tranſmiſi, legere potes, pertinet. Neq; enim ſupplicium irrogatum quidquam in calva mutare potuit, multò minus amor vel odium in

defuncto

defuncto suâ morte. De cranii usu in Comitialibus testimonia multa congessit Unzerus p. 212. de usu ossium: In articulorum doloribus Ant. Sneberg. Catal. Med. ad art. dol. Rhases l. 12. Cont. c. 1. Crato consil. l. 2. Horst. obs. 5. l. 3. p. 2. Oleum ex ossibus humanis olim Arnold. Villanov. hodieq; Ayrerus Archiater Brandenburgensis inter epist. med. ab Hornungo edit. no. 263. summè commendat. Benè longumq; Vale cum Tua, & me amare perge, qui Te, uti mereris, h. e. plurimum. εἰς τάχος Altenb. 25. April. 1653.

Tui studiosissim.

Th. Reinesius D.

EPISTOLA LVII.

S. Pl.

Mi CARISSIME D. J. M. NESTERE.

AMicitias, quæ æternum duraturæ fuissent, nihil æquè dissolvit quàm sauciatio sive jocô sive serio facta animorum. Quare si me amas, mi NESTERE, abstine ergà me ab istis, quæ tu jocos vocas; Urbanum quidem & lepidum & jocosum hominem te mihi fingis subinde; sed sales tui insulsi sunt eò quòd amari, adparentq; dentati potiùs sermunculi esse quos vanæ suspiciones ventilant, quibus me nil merentem pungas. Quid enim aliud ajebas, cum me tibi ignoscere, quod Salicium fuisses vocatus, velles, quàm quòd me onerares suspicione invidiæ, à qua longissimè absum? quid, quæso, mea intererat scire, quòd tu Salicii medicaréris? Licuit, sine ulla injuria mea, Salicenis te vocare, quos ego nullâ ratione obnoxios mihi ne agnosco quidem, excepto quod debent etiamnum nostro, multo minus postulo, quod tu putabas; licuit etiam tibi, me ne tantillum contradicente eò meare, & vel dominari ibi, & inclarescere & ditescere inde unctioremq; redire ad Tuos; non erat ut eam fortunam tuam μακροῖς αὐλοῖς, quibus nihil odiosum magis, intimares mihi, & peteres, ut paterer te nemini implorantium artis tuæ officia denegare. Quàm inertes sunt sales tui? Petebas ut concederem tibi, quod ne invidorum quidem ultimus & iniquissimus erat prohibiturus: quodq; per se cuivis liberrimum est; agnoscisné quàm justè vanitatem tuæ suspicionis, qua me gravaveras præter meritum, arguerim? Fuissent ista ἄρρητα ἀμείνω; sed Tu non poteras pasci

tacitus, ut corvus, sive Æsopicus sive Horatianus; an satis dapis habiturus nunc sis, nescio; interim cum te spes, quas immensas immanesq; conceperas, non succedere ex animi sententia, nunc deplorantem, & ne paulò post gratiâ mulierculæ unius excidas metuentem audio, risum vix contineo. De Salvatellæ sectione in Quartana & aliis morbis Splenis, loqueris ἀνάρτητα: si enim eam in praxi salutarem es expertus, ut ais, cur audebis contradicere eam commendantibus? Ita dum mihi contradicere niteris, te turpissima contradictione involvis, quippe dicis, te primùm elegisse communem brachii sinistri, & si reiteratio indicata fuisset, Salvatellæ incisione postmodum fuisse suppleturum; cum antea dixisses, te eam adhibuisse cum fructu. Sennerti Paralip. ad Instit. no. 23. lege, ut legisti lib. de febrib. & resipisces: item Vallesium l. 7. contr. c. 5. Nicolum Flor. serm. 5. tr. 7. c. 4. inprimis Zacutum l. 1. de hist. med. l. 54. qu. 27. p. 389. & l. 10. prax. historiar c. 26. obs. 2 p. 313. Spigelii l. 1. de Semitert. c. 15. quo intermittentium febrium putredinem in vasis majoribus minoribusq, constitisse probat exemplis, ista sunt: „ *De Quartanæ loco quid dicemus? cum sanguinis missio è Salvatella sinistræ manus multos ab ea liberavit. Hujus rei testes non ignobiles esse possunt Galeatius, Valescus Tar. Cardanus & alii. Galenus in 3. de anat. admir. hujus venæ sectionem in splenis tumore (phlegmone, ita Paulus l. 3. c. 49.) commendavit, dummodo sinamus sanguinem fluere, quousq, sponte sistatur: (De isto verò loco Galeni novi quid Augenius, quid Vallesius, quid alii sentiunt; sed propterea dogma ipsum non est rejiciendum. Est enim pro eo alius l. de sangu. miss. c. 14. & Orib. l. 7. coll. c. 5. & Pauli l. 3. c. 49. notabilis locus.) in quo Quartanam consistere omnibus Galeni adseclis, notum est. Cæterum cum intumescit lien, non caro lienis, quæ parenchyma dicitur, in majorem molem excrescit: sed venæ & arteriæ, quarum innumerabiles per hoc viscus propagines disperguntur, adimplentur & distenduntur*; & Wilh. Ballonii Prof. reg. Paris. l. 2. ephem. & epidem. p. 252. ista; Quartana septem mensium jugulata sectione in anularem & minimum digitum, & satis copiosè detracto sanguine mulieri. In re aperta & discussa satis piget verbum addere; neq; opus est verbis cum rerum adsunt testimonia. Narrationi de curata à Kneuffelio podagra cur fidem denegare debeam, nondum habeo; ὡδὲ συννοσῶ σοι, qui iniquè judicas de re incognita tibi, tanquam aliis quoq; impossibili. Si legeris quæ Joh. Raicus Bohemus med. Licent. Professoribus Witteb. benè notus, Mariæburgi Borussorum Practicus an. 1621. Francofurti; & quæ Joh. Loyselius Borussus Phil. & Med. D. Lugd.

Bat,

Bat. an. 1639. publicavit de eadem, depones ſcio iſtud ferociæ, & aliter incipies ſentire. Jubemur omnia probare; quod bonum eſt, tenere; quô ipsô ſtudium ſectarum tanquam perniciosiſſimum & artibus ipſis & humano generi prohibetur; me ſi quis, quod ad artem noſtram locupletandam facere poſſit quovis modo, doceat

Tros Rutulusvé fuat, nullo diſcrimine habebo;

Tu ſi id facere nolis, ἐχέτω μὲν οὕτως. Sed quid N. iſte tibi nocuit, cui tam inclementer dicis? Ita planè cum ad me ſcriberes in fermento fuiſti, & felle exundaſti. Vocet ſe Archiatrum, & vocetur ita ab aliis ſono quàm maximo, utre quàm maximè inflato, quid iſtam rem curem Egô, quid Tu? Sit ſuperexcellens, ipſiq; eſto aurea barba: quod ſi tu ferre nequis & invides Viro rem tantillam; ego tamen nunquam perſuadebor, ut limites Chriſtianæ caritatis in tui gratiam excedam, & improbem quoq; ipſe, quod tu non probas, ſine manifeſta neceſſitate & juſtitia. Parce autem talibus ad me in poſterum, neq; enim libenter audio indignationes, odia, invidias, calumnias. De pecunia quam D. N. deſtinatam habes, Jenam perferenda, conſilium ferè me deficit; neq; facilè patior ejusmodi negotiis me immiſceri: Interim quia audio quosdam è Conſiliariis noſtratibus ob cauſam quandam publicam brevi eò ablegendos eſſe, occaſione eâ uti te poſſe arbitror.

De pulvere Com. à Warwick lege Greiſii Decadem medicam. nobil. quam mitto, p. 28. Eo ab annis viginti uſum me fuiſſe adfirmo Tibi. Sed quid? nuncius me interpellat nunc Gnandſteinio, qui quartanariam tuam obiiſſe hodiè refert; quod mihi non ſit veriſimile ob relationem tuam, qui ajebas, eam febre omninò liberam, nihilominus ob leviculas querelas negotium tibi faceſſere; an tibi levicula videntur, ob quæ hominem mors prehendit? Vides, quàm fallacia ſint, quæ nobis aliisq; vel circa ſalutem vel circa exitum ægrorum interdum promittimus; ideoq, parcè de talibus, & nihil grande loqui ſatius eſt, tanquam quæ in poteſtate aliena potiùs quàm noſtra verſentur; pereunt interdum, quos medicus præceps victuros prædixerat; & multos temeritas caſusq; adjuvit, quos ratio deſtituerat. Plura volebam; ſed reor mox adfore eum qui tuas attulerat, ablaturum meas. Igitur optimè Vale, mi optime NESTERE, & ſalve

à Tuo

Altenb. 29. Dec. an. 1653.

REINESIO D.

EPISTOLA LVIII.

Mi Cariſſime D. J. M. NESTERE.

NOn indiges monitore me quomodo τὰ φέροντα ferenda ſint; obfirma autem mihi animum iſtum, quem præ Te fers, & ſuaviſſimè ævum tranſiges etiam cum acerbiſſimâ ſorte; quam lenire tibi in manu mea, ut maximè velim, non eſſe deploro. De domicella Salicena non equidem invideo tibi; fiat, ut montes ibi invenies auri, fiat; & me ditior domum redeas; miror magis ſuſpiciones tuas inutiles & parùm amicas; nunquam erat intra retia mea fera iſta, neq; eam venatus ſum unquam; nec cauſam habere viſus ſum cur ambirem; planè igitur Tibi licuit per me quidem eam conſectari: Σὺ δὲ αὐτῆς ὄναιο, & ſit perpetuum Tibi hoc bonum! Ego libenter careo moleſtiâ, quam fruſtrà ſubiturus ſim, neq; de adplauſu muliercularum verterim manum. Populariter etiam apud nos graſſantur febres cum typo quartanarum; ſed è fæce potiùs ſanguinis quàm humore atrabilario; eòq; nec periculi fovent quidquam, nec diuturnæ ſunt: pleriſq; omnibus qui convaluêre Salvatellæ in utraq; manu ſectio profuit, etiam ſæpiùs repetita. Pulvis Com. à Warwick dictus, deſcriptus à Th. Cornachino lib. integro: laudatus Spiegel. l. 3. de ſemitert. c. 8. & Fonſeca in Conſil. egregiè contulit. De iis qui TE meq; perditos vel oppreſſos malint, non penetro tuam mentem; neq; luctabor cum larvis, ut inimicos mihi fingam, qui fortaſse non ſunt. Scivi dudum odiorum & invidiæ adfatim me ſuſtinere; ſed non angor. *Quid faciat mihi homo? Dominus mecum.* Eodem modo ſi Te ſolaberis, nec in animum tuum adſcendunt malevolorum minæ, neq; adeò ſemper conquerêris de adverſitatibus; Summa, **Es muß gelitten ſeyn:** ſolatium ſummum eſt pati iniquè, h. e. vacare culpâ. Adfinis tuus liberalitate in me ſua, dum me onerat quaſi Diſputationibus, ſuperſedere poterat; omnes enim Jena miſſas habeo dudum. Opt. V. & S.

à Tuo

Altenb. 12. Febr. an. 1654.

REINESIO D.

EPISTOLA LIX.

Τὰ πρὸς τὴν πλυθυγιείαν!

Mi CARISSIME D. J.. M. NESTERE.

DE tumore labiorum, de quo hesternâ cœna inter nos sermo, transitorio quidem, sed subinde recurrente, idem habendum est, quod de tremore eorundem. Cum autem tremor quandoq; sit ex communitate cum stomacho, ut loquitur Savonarola, significans futurum vomitum; quandoq; ex communitate cum cerebro & nucha propter nervorum inde ortorum surculos, qui labiorum musculis, quos varii ductus fibræ constituunt, implantantur; in promtu est colligere vitium istud alicujus vel ventriculi vel cerebri adfectus ἐπιγέννημα esse. Ventriculi cum labiis consensus notissimus est ob tunicam seu panniculum utriusq; communem. Hinc enim Hipp. in Coac. contractionem labiorum κοιλίας χολώδεος καθάρσιν significare docuit; nimirum admorso ab humore acri ore ventriculi biliosa alvo proturbari facile est. Cum cerebro autem communicare labia nervorum interventu itidem compertissimum habemus; neq; opus est, puto, testimonia anatomicorum huc advocare. Hoc saltem addere oportet, quod de tremore labiorum ex Aben-Sina notavit Nicolus Florentinus, si interius solùm labium intumescat, è ventriculo; sin utrumq; è cerebro malum esse. Non observare memini ejusmodi intumescentiam præterquam in D. Georgio à Freiwald Consil. Saxon. cui etiam tubercula pruriginosa, culicum morsiunculis similia familiaria erant, quiq; ab omnibus habebatur pro Scorbutico. Præteritâ septimana puellæ quinquenni, filiæ Dn Georgii Kaiseri, obscurè febricitanti post exhibitum à me purgans confestim labia in deformem tumorem elevabantur; sed aderant simul vesiculæ confertissimæ, quæ abibant in ulcuscula & crustas. Verùm id mali ad seminarium febrile, è venis & arteriis in labia, quæ ad fluxiones & ventositates recipiendas idonea maximè sunt ob substantiæ modum, à natura expulsum referebam. Practici plerique omnes quatuor tantùm labiorum ægritudines enarrant; fissuras, ulcera, æmorrhoidas, & tremorem: Sennertus vulnera etiam & tumorem, Pr. l. 2. c. 1. sed ibi, uti & aliis quibus tumores particulares tradit, locis nihil legitur de tumore labiorum, quà Symptoma alîus morbi est, de quo heri apud Te sermo & quæstio nobis. Ex observationibus constat faciem ejusq; diversas partes, palpebras, ὑποφθάλμια, genas, &c. inflari scorbuticis; subitòq; subsidere & evanescere tumores; & so-

& fovent tamen ii ὑπουλόν τι, neq; ideò insuper habendi. Benè V. & S. Altenb. d. 13. Jul. an 1655.

Tuus

REINESIUS D.

P. S.

Mi cariſſime Dn. D. Circa equiſonem ne quid noves aut moveas, moneo; res eſt in vado, quod præſentia attinet ſaltem vide ut inſiſtatur iis externis, quæ adhibenda & continuanda reſtant: da etiam operam, ut præſcripto decocto, cujus quatuor doſes reſtant, utatur; cui ut gratius ventriculo hominis imaginoſi faſtidioſo accidat ammiſceri poterit mixtura ex aq. cydon. cinnamomiſata, juleb. roſ. & ſpir. ſalis ℨß. quam in vitreolo herè ipſi attuli miſcendam cum decocto. Sin nolit admittere, facies, quod medici partium eſt, & seriò adhorteris; non poſſe nimirum alio modo procedi. Poteris etiam dolo bono uti, & ſimulare innovationem; Maximè autem labora qui refractarium ſana ratione & monitis corrigas, ne ſibi incommodet. Ἴγε ἐνδιαιτήσεις. Remitto Microcoſmum Hypoch. Geigeri. **Dieſer guter Geiger mag unter denen Baur- oder Bierfiedlern gar wol beſtehen.** Cum enim magna quævis promittat, delirat pueriliter in plerisque.

Judicium
Dn. D. G. F. LAURENTII
De
Acidulis artificialibus.

Clariſsime Dn. D. J. M. NESTERE, Amice atq; Collega honoratiſsime.

Sicut heri præſens negavi, ſic hodiè abſens nego, cras & poſtridie ſive præſens ſive abſens negabo *acidulas artificiales ad naturalium virtutem accedere poſſe.* Ariſtotelis in 24. partic. problemat. naturalia balnea ſacra appellat, quia è ſacris & occultis cauſis generationem habent, & quia etiam mirandos effectus producunt. Par ratio acidularum naturalium eſt. Iccircò dico, quod in cavernoſitatibus terræ eſt, & generatur ignis, ut ipſo experimento patet, tùm in monte Ethna Siciliæ, tùm in pluribus aliis locis, ut jam de Veſuvio monte nil dicam. Accedente itaq; aquâ per cavernoſitates

sitates terræ, & destillante per loca Sulphurata, Aluminosa, Nitrosa, Vitriolata, Ferrata &c: substantiæ ejus aliquid abstergit, secumq; trahit, ut dicit Galenus. Imaginandum etiam est, ut cum hæc aqua ad ea loca pervenerit ubi est ignis, & ibidem esse aliquod cavum terræ, in quo tanquam in vase hæc aqua diu remaneat, & ab ipso igne usq; ad fervorem excalefiat, adeò ut ex his fiat fortis & vera mixtio, & sic excalefacta, facta levis & vaporosa, adjuvante etiam natura ipsius aquæ, quæ sub terra naturaliter sita est, per cavernositates terræ ad extra exit, non in tanto fervore in quanto erat cum ab igne calefiebat. Nam cum per loca frigida deinde transiret necesse erat in caliditate remitti. Hujus etiam mixtionis causa universalis est influxus cœlestis, & radius Solis, & stellarum per porositates terræ pertranseuntium, & ideò Galenus dixit, quod mixtio est opus DEI & naturæ. Et Aristoteles inquit, Sol & homo generant hominem. Et Plato aliiq; Philosophi dixerunt, quod esse mixtum duplici dotatum est virtute, elementari sc. & cœlesti. Acidulæ igitur naturales sunt verè mixtæ, unam habentes formam, quæ huic dat esse, unam quoq; virtutem cœlestem, quâ operatur operationes nobilissimas, sicut in omnibus aliis mixtis videre est, & tunc dicitur operari à tota substantia. Et idcircò Sapientissimi Medici semper consuluerunt, ut hypochondriaci, Melancholici, etiam Scorbutici ad locum proprium Acidularum naturalium se conferrent: cum dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ. Nam effectus, qui à tota substantia & virtute cœlesti fit, in loco proprio est, (cerevisia Servestana Servestæ coqui tantum potest, non alibi. Sic Bruhan/ Mumme/ in suis locis propriis. Sic plantæ suo proprio solo gaudent, nec ubivis locorum vegetantur, juxta illud: Hic segetes, illic felicius uvæ proveniunt, India mittit Ebur, dant sua thura Sabæi.) Nunc satis videre & sentire possumus, an artifex possit imitari naturam. Nam acidulæ artificiales mixtæ verè non sunt, nec mixtione forti & fixa deducta ad unam formam, ad unam virtutem, nec ad unam proprietatem: ergò non habent unum esse, unum operari, nec nobilissima operari. Acidulæ artificiales autem supra elementares operationes, virtutemq; cœlestem in se minimè habent, sed privatæ sunt hoc dono & virtute; Et idcircò ab acidulis arte factis prædici non possunt operationes nobilissimæ & cœlestes, & ut dicunt à proprietate, & à tota substantia. Potest igitur artifex imitari naturam, ut cum liquore potabili misceat ea mineralia, quæ in acidulis naturalibus conspiciuntur: non tamen acidulæ hæ artificiales operantur, nisi affatim, ut dixit Galenus, & copiosè cum aqua potabili misceat de substantia illius mineralis, quod vincere conspicitur in acidulis naturalibus. Quod verò

ars

ars non possit imitari & minus assequi virtutem cœlestem in acidulis naturalibus existentem, luce ipsâ clarius est, ut probatione minimè egeat. Nisi fortè dicatur, quod cum ars componit acidulas artificiales, expectetur aliquis cœlestis influxus, ut in componendis imaginibus referunt Sapientes.


Cum itaq; hæc cœlestis virtus, donum ac dos in artificialibus acidulis minimè insit, sacræ dici non poterunt, nec mirandos effectus & nobilissimas operationes producere, sicut acidulæ naturales. Quippe si acidulas artificiales acidulis naturalibus comparaveris, dices acidulas naturales sacras esse, & verè esse, acidulas verò artificiales, etsi ex amussim compositæ sint, umbras illarum esse, & quidem umbris ignobiliores, cùm acidulas naturales in compositione aut virtute minimè imitentur. Ecce quomodo ars naturam imitetur imperfectè, velut Christiani homines Christum hominem DEUM. Adeò distant ars & natura, veluti operis omnimoda absolutio, & manca imitatio. Nunc manum de tabula, sat biberunt prata, plura non admittit charta, & fugiens hora. Vale, Vir Clarissime, Amice suavissime, ac me amare perge, amore Medico. Medici enim debent esse, juxta mentem Hippocratis, veri Amici. Dabam Altenb. animo ac calamo currenti 12. Jul. An. 1657.


Dn. Doctoris atq; Collegæ honoratiss.

studiosissimus

G.F.L.D.

FINIS.




005647155